

ii. vii. Baptels MMs. Sa. L. Vitoris. Des. V. Carlet. I

92 43  
50  
93


4



értelem szerént, szollani. Mert az Istennek szent emberei,  
 a' Profeták, mind a' Szent Lélek által szollottanak, *2. Petr. 1. 21.* de azért nem mindent lelki módon, és titkos  
 értelem szerént, szollottanak, vagy irtanak, hanem so-  
 kat historiai, és bőví értelem szerént-is. Azt-is meg  
 kell jegyezni, hogy a' szent Mark, nem tsak azt írja, hogy  
 a' David *Lélekben* mondta légyen a' Christust urának,  
 mint a' szent Mathenál vagyon; mert talám azt még-is  
 színefebben vihették a' lelki értelemre, hanem azt,  
 hogy a' *Szent Lélekben*, mellyet semmi szín alatt tsak a'  
 lelki értelemre nem tsigázhatnak. mert a' *Lélekben*, a'  
 szollásnak módját-is jegyezheti, azt tudni illik, hogy  
*Lelki módon*; de a' *Szent Lélekben*, nem a' szollásnak mód-  
 ját, hanem a' nak authorát, és sugalloját, avagy szoltato-  
 ját, jegyzi. Avagy; Ezt az ígét, *Lélekben*, magyarázhatni  
 talám így: az az, *lelki módon*; de ezt: *A' Szent Lélekben*, nem  
 magyarázhatni így: Az az, *Szent Lelki módon*; avagy,  
*Szent Lélek, módon*. Hijában kapdosnak tehát az ellenke-  
 zők, a' *Léleknek* igéjéhez; mert az, az ő ügyököt nem  
 hogy segitené, de neheziti inkább.

Noha meg-engedhetjük, hogy a' kettős jegyzésű, és  
 értelmű *Prophetiák*bā, a' bőví értelem a' titkos értelem-  
 vel nem ellenkezik, mint az ellenkező mondja, *pag. 82.*  
 de ezt a' *Prophetiát* tagadjuk olyan kettős értelműnek  
 lenni, hogy bőví és historiai értelem szerént másról, s'  
 titkos és lelki értelem szerént pedig megént másról,  
 mondatnék; hanem éppenséggel ezt az egész Soltárt,  
 mind tsak a' Christustól szollani, minden ábrázat nél-  
 kül, áthatatosan tanítjuk. Es ez okon, e'ben a' Sotári  
*Prophetiák*bā a' bőví értelmert a' titkos értelemvel ellen-  
 kezniallatjuk: Mert ha tsak bőví szerént-is ez a' Soltár  
 a' David.

240  
1817.



BEATA  
 BEATÆ VIRGINIS ARS;

seu,  
*Regia genuini SCRIPTURÆ SACRÆ sensûs omni-  
 geniû usûs inveniendi via.*

Quam,  
 DEO DUCB.  
 PUBLICÆ CENSURÆ

In illustri Scholâ Albenſi,  
 Augusto, Septembri ac Novembri mensibus,

*Subjicit*  
 JOHANNES HENRICUS BISTERFEL-  
 DIUS, Theologiæ ac Philosophiæ  
 Professor.

*Studioſorum Reſpondentium nomina ſunt  
 in calce adjecta.*

[ \* ]  
 \* \* \* \* \*  
 \* \* \* \* \*  
 [ \* ]

Albæ Juliæ. M. DC. LI.





Sanctissimæ.

J E H O V Æ Z E B A O T H.  
D. N. J E S U C H R I S T I

*Sponsæ,*

E C C L E S I Æ R E F O R M A T Æ,

Nunc quidem ubique gravissimè pressæ ac vexatæ,  
sed brevi per universum orbem triumphaturæ,


S E S U A Q U E O M N I A C O N S E C R A T,

E I U S Q U E sapientissimæ, ex solo Naturæ Scripturæ  
que lumine instituendæ, C E N S U R Æ C U M H A N G

D I S P U T A T I O N E M T U M S C R I P T A S U A

O M N I A, eâ quâ par est, observantiâ

S U B J I C I T.



A U C T O R.



D I S P U T A T I O N I S P A R S I.

D E G E N U I N I S A C R A R U M L I T E R A R U M S E N S U S  
Investigatione.

*Thesis I.*

O Mnes circa Dei cognitionem ac cultum errores ex Verbi divini; post scriptum verò Pentateuchum ex Sacræ Scripturæ ignorantia oriuntur. Deur. 18. 21. 22. *Si non erit verbum hoc* (scilicet per Mosen vobis revelatum) *nequæ evenerit*: Esaiæ 8. 20. Malach 4. 22. Matthæi 22. 29.

II. Per Sacræ Scripturæ ignorantiam triplicem, eumq; jam simplicem jam combinatum, errorem expressum volumus.

Primus versatur circa *Sacræ Scripturæ essentiam*: quo quis vel planè negat esse aliquam Scripturam, ut Athei Psal. 14. 15: vel negat aliquam ejus partem, ut Judæi Novum Testamentum; vel falsam quandam partem ei affingit; ut Concilium Tridentinum libros Apocryphos.

Secundus error versatur circa *Scripturæ Sacræ eminentiam*; quo quis ipsius infirmam canonicamque auctoritatem, omnimodam perfectionem, sufficientemque perspicuitatem inficiatur.

Tertius error versatur circa *Scripturæ Sacræ efficientiam*, quo quis ejus vel genuinum sensum, vel omnigenum usum non agnoscit.

III. De primo ac secundo errore ante hæc egimus, datâ occasione plenius acturi; nunc tertii, ejusque inter vulgò (plurimos enim hoc nomine Scriptura non dignatur) Christianos dictos frequentissimi remedium explicabimus; *Regiam*, nempe. *genuini sensus omnimodiq; usus inveniendi viam*.

IV. *Sensus* (hic) est congrua vocum vis; seu, est loquentis scribentisve vocibus expressa notio. 1. Cor. 14. 11. Hebraicè pulcherrimè vocatur *דבור* sapor Psal. 119. 65.

V. *Sensus Scripturæ genuinus est sensus ipsi omnimodo congruus*. Hinc non omnis sensus per se verus est genuinus: quia licet rerum naturæ aliisve non tamen ideo cuius Scripturæ loco congruit. Sic Gen. 1. v. 1. *In principio*, id est, *in Filio creavit Deus cælum & terram* non est sensus genuinus, quamvis per se verus sit. Col. 1. 16.

VI. *Sensus Scripturæ genuinus nonnisi unicus est.*

A

Unicum



Unicum dum dicimus negamus esse multiplicem, ambiguum, interruptum. *Sensum multiplicem* vocamus, qui res diversas inter se non coherentes, subordinatas puta vel coordinatas, complectitur; qualem in plerisque Scripturæ partibus quidam Papistæ ineptissime fingunt. Minimè tamen negamus dari *sensum Scripturæ compositum*, seu duabus partibus constantem; in quo voces rem quandam, res illa aliam divinâ naturâque rerum consentaneâ ordinatione significat. Ita sensum veteris Testamenti plerumque Gal. 4. 21. 22. & d. legum ceremonialium semper esse compositum libentes fatemur. Exod. 12. Joh. 19. 36. Ubi accuratè notandum, argumentationem Pauli non tam personæ allegantis quam textûs allegati auctoritate plenoque sensu niti; secus nec verba, nec discursus congrueret.

Merito quoque admiramur divinam Scripturæ plenitudinem, quâ unicâ voce aut phrasi multas notiones, sed connexas, non raro exprimit. Sic Ephes. 1. 4. *Sicuti elegit nos in ipso*, id est, *propter ipsam* tanquam finalem, *per ipsum* tanquam mediam, *secundum ipsum* tanquam exemplarem causam.

VII. *Sensum ambiguum* vocamus *sensum incertum* quando voces vocumque structura tam confusa ac vaga est ut lector vel auditor de scribentis loquentisque mente certus esse nequeat. Talem sophisticum, imò absurdissimum omniumque generalium disciplinarum principii adversissimum ac planè nullum, sensum Pôrti, ficii statuunt, quando Scripturam *nasum cereum* vocant: quæ horrenda blasphemia Spiritum Sanctum *vel mutum*, qui se ecclesiæ suæ explicare non possit, *vel invidum*, qui nolit, necessariò fingit.

VIII. *Sensum interruptum* vocamus *sensum non continuum*: quando unius ejusdemque contextûs partes discernuntur, & quædam huic quædam alii planè diversæ rei applicantur: quum sermonis unitas ac continuitas postulet, ut de quo themate explicantur prima de eodem etiam explicentur media & ultima. Eiusmodi interrumpitur sensus admittitur quando typorum pars una applicatur antitypo neglectis aliis: ut quando existimatur Arcam foederis quoad substantiam suam esse typum sed non quoad mensuram & figuram, similiaque attributa: quâ ratione universa proportio turbatur. Si enim tæta totis sunt proportionalia etiam partes partibus proportionales esse necesse est. Heb. 9. 4. 5. Item cum quædam dicta subsultim explicantur vel applicantur: ut quando 2. Sam. 7. 12. 13. 14. 15. 16. quædam voces de solo typo, quædam de solo antitypo, quædam de utroque accipiuntur, quum universus sermo omnesque & singulæ ipsius partes de Christo sint intelligendæ. Atque ut ubique ita in primis in Psalmis & Prophetis hæc sermonis continuitas est observanda.

IX. Inter-

IX. *Interpretatio Scripturæ est clara genuini sensûs enuntiatio*. Prov. 1. 6. 1. Cor. 14. 1. 13. 26. 29: quæ tamen claritas varios gradus pro varietate rerû, personarum, ac circumstantiarû admittit. Num. 12. 16. 7. 8. cum Actor. 2. 17. 1. Sam. 3. 5. 1. 2. 1. 2. Pet. 1. 20: & ab initio mundi usque ad ejus finem sumit ac sumit incrementum. Heb. 1. Esaiæ 11. 9. Ezechielis 47. 1. & d. Dan. 12. 4. Apoc. 1. 3. & 22. 1. 2.

X. *Enuntiationem* vocamus *investigati sensûs explicationem* seu *expositionem*, sive illum quis aliis, sive sibi metipsum representet. Vanum enim est Scripturæ verba sine ipsorum genuino sensu percipere ac tenere.

Enuntiatio præ supponit sensûs *investigationem*.

XI. *Investigatio sensûs Scripturæ est accurata ejus inventio ac dijudicatio*. Psal. 119. per totum. Prov. 2. v. 1. & d. Joh. 5. 39. 1. Pet. 1. 10. 1. Cor. 2. 10. 15.

XII. *Interpretatio*, ad eoque & investigatio ac enuntiatio, *consideranda est generaliter & specialiter*.

*Generalis consideratio agit de mediis omnibus personis interpretantibus, rebus interpretandis, interpretationumque modis communibus.*

Quoniam autem omnia specialia hæc disputatione persequi non possumus quædam generalibus, pro re natâ, inspergemus.

XIII. *Interpretatio Scripturæ quatenus genuini sensûs perceptionem ac representationem significat est officium omnium ac singulorum fidelium ratione rectâ utentium.*

Hæc quippe ratione omnes Scripturam interpretari & debent & possunt.

*Debent*: quia eam diligentissime audire & legere ita ut, in ipsis sermo Christi cum omni sapientiâ copiose habitet. Deut. 8. 6. 7. 8. 9. & 11. 18. 19. 20. & 31. 12. Colofs. 3. 16: scrutari Es. 59. 2. Joh. 5. 39: (legere autem & non intelligere est negligere, forentque secus non ex Deo Joh. 8. 47. nec oves Joh. 10. 3. 4: sed semen juxta viam sparsum Matth. 13. 19.) omnia 1. Tets. 5. 20. Rom. 12. 2. & 16. 19. 1. Cor. 10. 15. seipfos. 1. Cor. 11. 20. & 2. Cor. 12. 5. Spiritus 1. Joh. 4. 1. dijudicare ac probare: à pseudo prophetis sibi cavere Matth. 7. 25. & 16. 6. denique, semper & cuivis petenti, fidei suæ rationem reddere 1. Pet. 3. 15. jubentur ac tenentur: quorum nullum sine hæc interpretatione præstare queunt.

*Possunt*: quia omnes fideles habent Spiritum Sanctum: Gen. 6. 3. Esaiæ. 59. 21. 1. Cor. 12. 3. Rom. 8. 9: omnes sunt docti à Deo. Esaiæ. 54. 13. Jer. 31. 33.



Hebr. 8. 8. & d. Joh. 6. 45. adeoq; omnia sibi salutaria nōrunt. 1. Joh. 3. 20. 27.

XIV *Universa verò & singula Scriptura partes interpretande sunt*; id est, earum genuinus sensus efficaxque usus in hac vitâ investigari debet ac haberi potest. Est enim tota quanta quanta lux. Psal. 119. 9. & 119. 105. 130. Prov. 6. 23. tota utilis ad usus infra explicandos, reddendumq; hominem Dei perfectum. 2. Tim. 3. 16. tota ad nostram doctrinam scripta. Rom. 16. 4. nihilq; ex eâ tanquam superfluum subducendum vel omittendum Apoc. 22. 19; quod etiam de prophetiis, quamvis primâ fronte obscurissimis, firmiter credendum est. 2. Pet. 1. 19. 20. & 3. 18. Ezechielis 40. 4. & 43. 10. 11. 12. & 44. 5. 6. ex quo templo omnes hodiernæ justoq; Dei judicio cruentæ de gubernatione ecclesiasticâ controversiæ perfectè definiiri & deberent & possent. Ideo clamat Johannes in Apocalypsi, universæ Scripturæ epitome; *Beatus qui legit, & qui audiunt verba prophetiæ hujus, & observant quæ in eâ scripta sunt.* Apoc. 1. 3.

XV. *Dantur quoq; interpretandi modi & media omnibus fidelibus relectatione utentibus communia.* Secus Scriptura frustra acutè ingereretur filius Deut. 6. 7. Eccles. 11. 12. 12. 13; nec foret semen catholicum 1. Pet. 1. 23; nec lac c. 2. 1. 2. Heb. 6. 12. 13. 14. Et Salomon catholicam cognitionis clavem Luc. 11. 52. non solum sapientibus & intelligentibus, sed etiam fatuis ac pueris porrigit. Prov. 1. 4. 5. Hinc Apostoli non tantum ad Timotheum & Titum, sed etiam ad Philemonem, Gajum, ac Matronam scripsere: Et in Synodo Apostolicâ, quæ omnium Christianarum synodorum perfectissima idea esse debebat, non soli Apostoli, sed presbyteri cum totâ ecclesiâ judicârunt. Inter illos etiam generosiores Thessalonicenses, qui Actor. 17. 11. 12. omnia, quotidie, juxta Scripturas examinabant, foemina fuere. Quam præclare Beata virgo artificium Scripturarum interpretandarum sciverit ac exercuerit sub finem hujus disputationis apparebit.

XVI. *Media illa communia sunt preparantia, gubernantia vel consummantia: quorum omnium supremus Magister & promus condus est Spiritus Sanctus, officina Oratio, gymnasium Tentatio.* Quemadmodum autem media sunt adhibenda, ita opposita impedimenta removenda. Deut. 29. 4. & 30. 6. Ezech. 35. 25. 26. 27.

XVII. *Spiritus, inquam, Sanctus est summus primusq; Scriptura Dictator, Doctor ac fidelium Ductor.* 2. Pet. 1. 21. Exod. 28. 3. & 31. 3. & 35. 30. Num. 11. 16. 17. Prov. 1. 23. Joh. 16. 13. 1. Corinth. 12. 4. 11. Nec quicquam sine ipso salutariter cognosci potest, ac per ipsum omnia Joh. 3. 5. 1. Cor. 2. 10. & d. Ipse liqui-

Ipse siquidem omnium fidelium facultates purgat, vivificat, sustentat ac consummat. 1. Cor. 3. 16. & 6. 19. & 2. Cor. 1. 21. Apoc. 1. 4.

XVIII. *Oratio (hic) est religiosa voluntatis nostræ coram Deo representatio ut nobis Spiritum suum sanctum largiatur.*

Math. 7. 7. Luc. 11. 9. & d. Jac. 1. 5. Psal. 51. 12. 13. & 143. 10. Hæc est certissima panacæa & panchestum, quo omnes animi morbi curantur: instructissimum armamentarium, quo omnia impedimenta remouentur, omniaq; instrumenta ac media procurantur; accommodatissimum vas quo Aqua illa viva, Spiritus Sanctus, hauritur ac retinetur. Joh. 4. 10. 14. Unde pius sacrarum literarum studiosus plus orando quam meditando proficit.

Hæc precum necessitas, utilitas, ac efficacia repræsentabatur quotidiano & jugi suffitu. Exod. 30. 1. & d. Psal. 141. 2. Rom. 8. 26. Apoc. 8. 3.

*Complectitur autem hæc oratio deprecationem*, ut Spiritus Sanctus ineptitudinem nostram tollat & facultates nostras reformet ac transformet; *petitionem*, ut easdem conformet, informet, ac performet: *ac gratiarum actionem*, ut pro sensu usuque nobis concessō Deum laudemus. Ephes. 6. 18. Cujus divini artificii & exercitii divina idea est Psal. 119. ab ecclesiâ Judaicâ ad Christum convertendâ decantandus ac præstandus.

*Huic orationi opponitur precum neglectus, quoquis vel planè non orat, vel non eomodo gradus, quo oportebat; quod peccatum est fons omnis incogitantæ, ignorantæ nequitæ & inertæ.*

XIX. *Tentatio (hic) est hominis fidelis externarum internarumq; afflictionum & Spiritus igne facta probatio.* 1. Petri. 1. 6. Jacobi. 1. 2. Hæc insignem vim habet in germano Scripturæ sensu vivoq; ejus usu eruendo. Hinc miro Dei beneficio schismata & hæreses ejus explicationem, confirmationem, ac fructuosam applicationem promovent. 1. Cor. 3. 15. & 10. 13. & 11. 9. Psal. 119. 71. Dan. 11. 35. & 12. 10. Sunt autem tentationes theoretica, deificæ notitiæ & assensu; vel practica, defiduciâ, spe, & charitate, fidelium vel singulorum, vel plurium seu ecclesiæ: Apoc. 3. 10. Earum illustria exempla sunt Christus. Matth. 4. Heb. 4. 15. Abraham Gen. 22. Rom. 4. Jobus cujus universa historia multiplex tentatio est; Paulus 2. Cor. 6. 1. & d. & 11. 23. & 12. 7. & Ecclesia Judaica Deut. 4. 34. Psal. 71. 20.

XX. *Media preparantia sunt quæ interpretantem in congruo statu collocant, certaque requisita in eo efficiunt.* Prov. 2. 1. & d.

*Congruus interpretantis status est religiosa; adeoq; omnimoda & omnigena; totius hominis ad sacrarum literarum studium applicatio.*



**Ecclef. 12. 15.** Hoc est, & sit, totum hominis: sine quo omnia nil nisi vanitas sunt. **Matth. 6. 33. & 13. 44. 45.** **Luc. 10. 41.** Est, inquam, diligens & constantis applicatio omnium & singularum hominis facultatum, nempe & accurata mentis attentio & efficax voluntatis ac affectuum intentio. **Theff. 5. 23.** Ista meditare in istis esto. **1. Tim. 4. 15.** **Mane 2. Tim. 3. 14.** Legem Domini inspice, intueri, in illa ambula etc. **Psal. 119.** in quo Psalmo nullus humanarum facultatum actus omittitur quin Scripturæ applicetur: Illa autem applicatio fiat semper & ubique **Psal. 1. 1. 2.**

Huc pertinet prophetarum excessus seu raptus, quo verbo Dei percipiendi ita sunt intenti ut aliis animalibus functionibus vix vacent. **Num 24. 4.** **Ezech. 1. 2.** **Cor. 11. 1. & d. Apoc. 1.**

**XXI.** Huic præparationi opponitur gravissimum impedimentum *tum innatum affectata incogitantia quâ homo vel planè non, vel confusè & obiter mentè, Scripturæ meditationi applicat:* qui perniciosissimus morbus per cor lapideum & clausum ejusque remedium per cordis apertionem in Scripturâ repræsentatur. **Ezech. 36. 28.** **Act. 16. 14.** & **Luc. 24. 45.** Hujus incogitantix gradus & fructus describuntur **Psal. 1. 1. 23.**

**XXII.** *Requisita illa sunt ratione facultatum cognoscentium, appetentium, & exequentium. Ratione facultatum cognoscentium est prævia scientia, diligentia, & justa aestimatio.*

**XXIII.** *Prævia scientia est frugalis rerum signorumque in naturâ vitæque humanâ obviarum notitia.* **Phil. 48.** Notitia, inquam, rerum tum insita notiones innatæ **Rom. 2. 25.** tum sensu ac experientiâ acquisita. **Rom. 1. 20.** Ad signorum notitiam peninet cognitio lingvarum sanctarum, Hebrææ scilicet & Græcæ; quarum summa utilitas patet ex **Es. 28. 9.** **11. 1.** **Cor. 14. 21. 22.** & **2. 13. 1. Pet. 4. 11.** Utraque, rerum pura & verborum, notitia diligenti ac judiciosâ collatione ex ipsismet sacris literis sufficienter hauriri potest. **Psal. 119. 8.** & **119. 30.** **Prov. 1. 4.** **Matth. 11. 26.** **1. Cor. 1. 26.**

Ignorantiam lingvarum compensat ministerium verbi & Scripturæ in vernaculas translatio. **Ephes. 4. 10.** **1. Cor. 14.** quæ fundamentalia continet, quæque & scrutatione examinari, & à Spiritu Sancto in piorum conscientia obsignari potest. **1. Joh. 2. 20. 27.**

Ei opponitur *stupida & omnimoda tam lingvarum quàm rerum inscientia, quâ homo ne ea quidem quæ ipsa natura ac quotidiana experientia docet, cognoscit:* **1. Cor. 11. 14.** & **5. 1.**

De modo

De modo utramque cognitionem feliciter acquirendi, datâ occasione, ageretur. **XXIV.** *Diligentia est quâ homo facultates suas cognoscentes in meditatione Scripturæ constanter, (dies noctesque) exercet.* **Psal. 1. 3.** & **119.** per totum. *Hæc versatur in sacrarum literarum Receptione ac Retentione.*

**XXV.** *Receptio est, quâ homo accuratè sacras literas audiendo & legèdo percipit. Utraque, auditio & lectio, debet esse universalis, ut universa Scriptura: continua, ut quotidie; & fructuosa, ut cum attentione legatur.*

**Prov. 2. 1.** **Matth. 13. 3.** & **d. 52.**

Huic opponitur *profana negligentia, quâ raro vel nunquam: vel lectio cruda, quâ nonnisi quædam partes leguntur ac seliguntur cæteræ negliguntur: aut impura, Babylonica ac Samaritana, quâ paleas humanas commiscemus, sicque post cor & oculos nostros scortamur,* **Jerem. 23. 28.** **Nunt. 15. 39.**

**XXVI.** *Retentio est quâ homo sacras literas accuratè lectas intimis sensibus ac menti firmiter imprimit: quod fit jugi repetitione ac ruminatione.* **Heb. 5. 14.**

Debet Scripturam tanquam semen vivificum in corde suo abscondere. **Prov. 2. 1.** & **d. Matth. 13. 23.** **ἰὸρ ἐμψυλον λόγον** **Jacob. 1. 21.**

Huic opponitur *superficialis recognitio, quâ dum unam partem legit alteram obliviscitur; sicque nunquam perfectam scripturæ ideam seu hypotyposin adipiscitur.* **2. Tim. 1. 13.**

**XXVII.** *Justa aestimatio est, quâ scripturæ studiosus tum de se, percipientem tum de Scripturâ, percipiendâ, rectè judicat.*

*Justa aestimatio sui est, cum indigentiam ac impotentiam, ineptitudinem ac infirmitatem, suam humiliter agnoscit.*

*Ineptitudo hæc est generalis, omnibus hominibus ob peccatum originale communis* **Rom. 8. 6. 7. 1. Cor. 2. 14. 15.** **Matth. 16. 16:** *vel specialis, præconcepta opinio.* **2. Theff. 2. 10. 11. 12.** **Colos. 2. 3.**

*Justæ aestimationi sui opponitur fiducia & admiratio sui, quâ quis propriis viribus confidit: quod obstaculum est pestilentissimum.* **Es. 29. 14.** **1. Cor. 1. 19.** **Joh. 9. 19. 20.** **Matthæi. 18. 3.**

**XXVIII.** *Justa aestimatio scripturæ est, quâ quis verâ fide divinam ejus eminentiam, adeoque auctoritatem, perfectionem, & perspicuitatem, agnoscit.*

Hæc triumphat **Psalms. 119.** **Prov. 2. 7.** **capp.** Hæc est basis omnium præparationis: ingeneratque attentionem, diligentiam, & cæteras virtutes: ita enim magnetica scripturæ vis semirificè exserit.

Ei opponitur *Scripturæ contentus ac vulgaris aestimatio.* **Prov. 1. 7. 24.** & **d. Matth. 7. 6. 7. 8.**

**XXIX. Re-**



*XXIX. Requisita ratione facultatum appetentium sunt omnimoda & fervida ejus in Scripturam sacram propensio.* Prov. 21. & d. Psal. 40. 9. Jer. 31. 33. Heb. 8. 10. Rom. 6. 17. Psal. 119. quâ homo ex toto corde, ex totâ animâ, & ex omnibus viribus in id incumbit, ut veram Scripturâ intelligentiam assequatur: ibidem v. 2. 5. 10. Et 58. 2.

Hæc complectitur omnes voluntatis vires ac motus. omnesque ejus modos ac gradus seu affectus: nominatim *ardens desiderium, constantem amorem, ac summam oblectationem*: quæ omnia scitè repræsentat parabola Christi Matth. 13. 3. & d.

*XXX. Ardens desiderium est quo homo vehementer cupit Scripturâ sibi nondum satis intellectâ genuino sensu ac usu potiri, eoque uti frui.*

Hoc desiderium est viva seminis receptio. Psal. 119. 20. 40. 48. 6. 81. 82. 123. Matth. 6. 33. Hoc est pars famis & sitis quâ anima Scripturam tanquam cibum & potum suum expetit Matth. 5. 6. 1. Pet. 2. 2. Psal. 119. 131. Deut. 32. 2. Apoc. 22. 1.

Ei opponitur *Neglectus verbi Dei*, qui est nausea quædam spiritualis & fastidium quoddam: unde oritur *excecatio & induratio*, quæ est quædam spiritualis stupiditas & obesitas 2. Sam. 12. 9. Et 6. 10.

*XXXI. Constans amor est, quo homo Scripturâ sensum jam sibi cognitum maximi facit, eique vivaciter adhæret.* Psal. 119. 31. 36. 37. 48. 57. 72. 97. 103. 104. 106. 127. 129. 140. 163. & d. Jac. 1. 21. Hic est fida seminis recepti retentio, quâ homo verbum Dei ita amat, ut nec ob malorum æstum, nec ob aliorum bonorum spinas ullam ejus jacturam facere velit. Ei opponitur *odium verbi Dei*: quod est primum & maximum obstaculum, omniumque cæterorum fons: verus Satanæ, ejusque primogeniti filii, Antichristi, character, Gen. 3. 1. & d. 2. Theff. 2. 8. 10.

*XXXII. Summa oblectatio est, quâ homo in sensu scripturâ amato tanquam in summo ad summum bonum medio, letus acquiescit: idque in rebus tam adversis quàm secundis.* Psal. 1. 1. 2. & 19. 11. & 119. 14. 16. 24. 47. 50. 54. 72. 92. 103. 143. 162. 164. 172. 174. Hæc est vegeta seminis retenti egerminatio, & comprehendit zelum secundum scientiam. Psal. 119. 136. 139. 158. Luc. 24. 32.

Ei opponitur *Tepor spiritualis*, quo quis vel simulatè ac hypocriticè, vel ex solâ consuetudine verbû Dei tractat: qui status est periculosissimus. Apoc. 3. 15. 6.

*XXXIII. Ex prædictis requisitis fluit pia docilitas quâ verbum Dei humiliter recipimus, fideliter retinemus, feliciterque recolimus ac ruminamus.* Psal. 119. 11. 13. 15. & d. Deut. 6. 6. & d. Num. 15. 37. & d. Ei opponitur

Ei opponitur *indocilitas*; eaque tum *communis omnibus hominibus*, quâ naturaliter sunt mortui, adeoque cæci & surdi; tum *cæcis specialis*. Psal. 32. 8. 9. Hic removenda est falsissima & Pelagiana verborum Christi interpretatio Joh. 7. 17. si quis voluerit voluntatem ejus facere cognoscet dedoctrinâ illâ, utrû ex Deo an ego ex me ipso loquar: quasi prævia, & quidem naturalis, animi probitas sit primus ac præcipuus intelligentiæ scripturarum fons ac clavis: quum Christi mens sit: si quis Dei Patris mei voluntatem in lege revelatam facere velit is cognoscet meam doctrinam ipsi non repugnare sed examullim consentire, adeoque ipsissimam Dei doctrinam esse. Confer v. 19.

*XXXIV. Sequuntur requisita quæ ex parte facultatum exequentium sunt necessaria* Illa complectitur *vita sancta*.

*Vita sanctitas est congrua studiosi sacrarum literarum dispositio, quâ se totum divinæ voluntati sibi in scripturâ patefactâ conformare studet.* Lev. 11. 44. & 19. 2. & 20. 7. 1. Pet. 1. 13. 14. 15. Joh. 7. 17. Matth. 7. 24. & d. Jac. 1. 6. 7. 8. Hæc est beata illa messis quâ semen fert consentaneos fructus. *En constat fugâ mali*, adeoque pœnitentiâ, & *studio boni*. Psal. 34. 15. Rom. 12. 1.

Ei opponitur *vita impia & profana*: cumquâ solida & fructuosa Scripturæ intelligentia consistere nequit. Psal. 50. 16. 17. Matth. 7. 26. & d. Rom. 2. 17. & d. Tit. 1. 16.

Itaque Scriptura tanquam *Regina & Diætrix* debet sedere in arce ac throno animæ nostræ. omnibusque nostris sensibus, appetitibus, ac moribus leges præscribere ac domitari, ut nos quasi penitus in se transformet. 1. Joh. 3. 9. cû 1. Pet. 1. 23. Heb. 4. 12. Rom. 2. 17. & 6. 17.

Atque hæc præparatio, de quâ hæcenus egimus, varios tum in variis tum in iisdem, etiam regentis, hominibus admittit gradus: unde & varii: majores minores vel suaviores vel insuaviores, sequuntur cognitionis ac interpretationis fructus. 1. Cor. 13. 9. 10. & 14. 29. 30. 31. Phil. 3. 15. 16. Heb. 5. 11. 12. 13. 14.

*XXXV. Hæcenus fuerunt media hominem ad Scripturâ interpretationem præparantia: sequuntur eandem gubernantia: quæ respiciunt interpretationis Normam vel Formam.* seu Media & Modum.

*Priora comprehendemus sub Analogiâ fidei.*

*XXXV. Analogia fidei (nobis hic) est perfecta rerum ac personarum ad interpretationem Scripturâ pertinentium panharmonia, seu universalis responsus ac commendus.*

Perfectio ratione intellectus postulat *claritatem & certitudinem* ratione voluntatis



voluntatis bonitatem & sanctitatem; ratione potentiz executivæ facilitatem & efficacitatem. Jac. 3. 17.

Universalitas postulat, ut semper, ubique & omnibus congruat ac sufficiat; adeoque omnimodo sit proportionalis.

Ejus partes possunt constitui tres: nimirum ὑποτύπωσης ὑπεικόντων λόγων, μέτρον πίστεως, & μέτρον ἡλικίας τῆς πληρώματος τῆς χάριτος: Hypotyposis sanorum sermonum, Mensura fidei, & Mensura plenitudo Christi.

XXXVII. Hypotyposis sanorum sermonum est clarissima & solidissima axiomatum doctrina salutifera ex universo sacrarum literarum systemate collectivum catena. 2. Tim. 1. 13. Rom. 2. 17. & 6. 17.

Hæc est ipsissimum fidei verbique semen 1. Pet. 1. 20. 21. & d: totius ædificii fundamentum. Ephes. 2. 20. 1. Cor. 3. 13.

Ejus compendium sunt VI capita catechetica, ipsaq; (modo Scripturæ exactè congruat) catechesis: radix tria priora capita Geneseos, in primis fons promissionum Gen. 3. 14. & d: unde ex his capitibus omnes fidei articuli ad salutem necessarii, firmâ consequentiâ, deduci possunt. Psal. 40. 8. Heb. 10. 7.

Præsupponit autem hæc hypotyposis certissimam clarissimamque axiomatum rationis ac propriæ experientiz catenam.

XXXVIII. Hæc biblica catena potest commodè dividi in anciam, argenteam & auream.

*Aenea est prima ex solo Mose conflata:* Moses enim est universæ Scripturæ fons & Oceanus. Deut. 4. 6 & 18. 22. & 34. 10. cum Exod. 33. & Num. 12. Ef. 8. 20. Luc. 16. 29. 31. & 24. 27. 44. Joh. 5. 45. 47. Act. 26. 23. quod nec Christus nec Paulus affirmare potuisset nisi universum Evangelium in pentateucho contineretur, illineque firmiter deduci posset. Mal. 4. 4.

Repræsentatur hæc hypotyposis Exodi 26. 36. 37. & 38. 36. 37. Quinque enim libri Moysi sunt primus Scripturæ ingressus & janua: unde 1. Tim. 3. 16. ecclesia domus Dei dicitur columna & stabilimentum veritatis non fundatæ & sustentatæ sed fundantis & sustentantis.

XXXIX. *Argentea est secunda ex prophetis, seu cæteris V. T. libris, conflata.* Luc. 1. 70. 71. Act. 3. 24. Nullus siquidem est propheta qui non agat de Christo. Excellit liber Psalmonem, qui est divinißimum totius Scripturæ compendium, & quasi utriusque Testamenti horizon. Act. 2. 25. & 13. 33.

Repræsentatur Exodi 26. 19. & d. & 36. 23.

XXXX. *Tertia est aurea ex N. T. libris cum præcedentibus accuratissimè collatis continata.*

Repræsentatur

Repræsentatur Exod. 26. 32. & 36. 34. Nam quatuor Evangelistæ sunt N. T. ingressus & janua.

Hæc triplex catena nihil sit aliud quam viva Jesu Christi crucifixi pictura. Exod. 25. 22. Num. 7. 89. 2. Cor. 3. Nam Jesus Christus, Dominus, est universam V. quam N. T. spiritus & anima. 1. Cor. 2. 1. Gal. 3. 1. & d. & 6. 16. Coloss. 2. 2. constetque axiomatibus partim generalibus (thesibus) partim specialibus & singularibus (hypothesibus), idest, illustrissimis typis & exemplis. Hæc ratione erit perfecta explicatio. & applicatio Luc. 24. 27. 44. Rom. 4. 3. 7. Gal. 3. & Rom. 9. capp.

Hypotyposis hujus perfectio postulat ut nec excessu Rom. 12. 3. μή ὑπερ-φρονεῖν. 1. Cor. 4. 6. nec defectu laboret, sed omnes fundametales fidei articulos contineat Rom. 2. 17. Act. 20. 27. Heb. 3. 1. 2. 3.

*Structura hæc sit: Fiat tabula articuloꝝ fundamentalium, ea deducatur per Pentateuchum, seliganturq; dicta de iis evidentissima: his succenturientur synonyma ex prophetis, tandemq; ex NT.*

XL. *Catena axiomatum philosophicorum structura hæc sit: Prima ac clarissima notiones gradatim inter se coordinentur ac subordinentur, ita ut mens humanis combinationibus ultrò assentiantur; easque solida & catholica, per omnes vel saltem plerasque disciplinas, inducto confirmet.*

Primigenias has notiones Scriptura uberius sinceriusque quam ullum aliud scriptum suppeditat.

XLII. *Mensura fidei est clarum & vivum conscientia à Spiritu Sancto illuminata accuratèque examinata testimonium.* Act. 2. 16. & d. Rom. 8. 16. & 12. 3. 1. Cor. 2. 15. 2. Cor. 1. 12. & 13. 5. Heb. 8. 10. 1. Joh. 2. 27. 1. Tim. 3. 9. Hæc fidei mensura variat quidem, sed singulis fidelibus sua sufficit. Matth. 25. 7. 15. 29. & 13. 12: estque internus ille phosphorus 2. Pet. 1. 19: & universale testimonium ratione personarum, rerum, & modi.

Hæc mensura non excludit sed includit ac præsupponit solidam cum naturalem spiritualem experientiam, sincerumque rectæ rationis lumen. Rom. 1. 20. & 2. 15. 1. Cor. 11. 14.

XLIII. *Mensura plena statuta Christi (hic) est sapiens ac prudens status ecclesiæ representatio: seu accurata æconomia temporum, in primis præsentium, idea.* Ephes. 1. 10. & 4. 12. & d. 1. Cor. 12. 8. & d. 1. Tim. 3. 16. 1. Cor. 4. 4. Hoc vult Paulus Rom. 12. 3. ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν, sapere ad sobrietatem est ita sapere ut cum singula tum universa membra sana & salva, facta recta maneat.

b 2

Hæc idea



Hæc idea concinnanda est partim ex sacris literis, præsertim historicis & prophetiis, partim ex quotidianâ experientiâ, & prudenti prophetiarum periodorum ad nostra tempora ἐφαρμογῆ applicatione & accommodatione.

Quemadmodum autem periodus N. T. septem sigillis Apoc. 10. 7, sic v. r. septem seculis seu intervallis mirificè inter se proportionalibus absolvitur. Nam regnum cœlorum est instar vivifici seminis aut talæ omnes suas essentielles partes semper sed nunc minús nunc magis evolutas ac explicatas habentis. Heb. 1. 1. Psal. 145 13. Matth 13. 32. Ephes. 3. 5.

XLIV. *Media formam seu modum interpretationis gubernantia sunt instrumenta analytica.*

*Analysis* (hæc) est accuratum de textu biblico in sua principia resolutio iudicium; de eâ notentur sequentia.

1. *Analysis sit proportionalis genesis*; id est qualis & quanta, adeoque & quotuplex est genesis talis & tanta sit analysis; non major, non minor nec distorta: nihil in textu inferat sed omnia ex textu eruat & efferat. Hinc ubiq; in sacris instituenda analysis lexica, gramatica, rhetorica, logica, oratoria, & theologica: in quibusdam etiam philosophica realis, puta physica, mathematica, bellica &c, juridica, medica, mechanica, quin & poetica ac musica.

2. *Analysis sit ad genesis retrograda*; adeoque incipiat à maximis & pergat ad minima.

A methodicâ ad syllogisticam, ab hæc ad axiomaticam, hinc ad topicam, à libri ad capitulum, à capitulum ad versum, à versu ad singularum vocum evolutionem & analysis.

3. *Praxis*, ac proinde hæc analysis, præsupponit compendiorum ac tabularum apparatus & notitiam, saltem frugalem. In docti quippe & instabiles (ἀμαθεῖς καὶ ἀστήρικτοι qui fundamento & firmamento carent) Scripturas detorquent. 2. Pet. 3. 16.

Compendia sunt nervosæ omnium rerum in Scripturâ occurrentium coordinationes: tabulæ sunt earundem subordinationes; seu claræ & ordinatæ representationes.

4. *Dissertatio biblica semper & ubique est congruentissima.*

Nunquam enim vel minimum ullius disciplinæ principium violat, sed ea omnia facta tecta relinquit. Itaque analysis quæ in ullum disciplinarum axioma impingit est falsa. Hinc verus & genuinus Scripturæ sensus non solum potest certo inveniri sed etiam demonstrari: quia non nisi unus potest esse omnimodo congruus.

5. Hanc

5. *Hanc omnimodam congruentiam observare est ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον, τοῦ ἐκείνου λέγειν, 2. Tim. 2. 15.* quæ phrasî sumta est à sacrificiis eam violare est σφραβλῶν. quod est ita torquere ut motus termini non observentur, quod in visione solent facere σφραβλοῖς, vel σφραβαῖς.

6. *Universa analysis nititur, gubernatur, & absolvitur Reductione ac Deductione: relatione.* si ita loqui liceat, ac *collatione*: quæ duo se mutuò notificant, id est, explicant, probant, & amplificant.

Illæ est cōmensuratio notionum ac dissertationum ad sua principia; hæc est earundem cōmensuratio ad seipsas & alias quasvis notiones ac dissertationes, Utraque quò est distinctior eò utilior: Ita enim nō solum communes sed & specialissimas rerum differentias ac concordantias observat: sensumque suggerit non modo confusum, generalem & communem; sed clarum, distinctum, speciale, nativum & proprium: Atque hi mentis actus exprimentur per vocem ματῆ, meditatur, Pl. 1. 2: id est, qui mentem suam per legis, seu Scripturæ, omniumque rerum, seu Naturæ, universitatem versat ac circumducit.

7. *Praxis logica, genesis scilicet & analysis, est analogæ vel anomalæ; & hæc triplex*: quâ frequentissime utitur Scriptura, sed nunquam sine causâ. Nihil enim, imò ne jōra quidem aut apex Matth. 5. 18. in Scripturâ est frustra, nihilque ex incogitantia, ignorantia vel imperfecto veritatis consequentiæ & ordinis iudicio in eâ ponitur. Critici qui aliter sentiunt Scripturæ ignari sunt in eamque in jurii.

Hinc omnes Scripturæ pleonasmî, ellipses, & enallagæ sunt διδακτικαὶ ποτεσται ac debet earum reddi ratio. In anomalâ analysis semper occurrit anomalæ observatio, ejusque Rectificatio: quâ defectus suppletur, excessus refecatur, partesque perturbatæ ordinantur.

8. *Accuratissima est instituenda analysis.* Nam si falsa sit, vel minimos etiam modos & gradus confundat protinus illinc oritur interpretatio vel falsa vel saltem non genuina.

Sic Esaiæ 9. 6. inepta oritur interpretatio si partes prædicati, persona nominata tituli, essentielles habeantur pro amplificatione subjecti, pro titulis persona nominantia.

9. *Nota analytica sunt certissima claves; eaq; explicite vel implicite; analogæ vel anomalæ.*

10. *Hæ nota petuntur vel ex disciplinis instrumentalibus, puta Lexicâ, Grammaticâ, Logicâ, Rhetoricâ, Oratoriâ, Poeticâ, vel realibus; ubi excellit Metaphysica & Symbiotica.*

b 3

XLV. *Analys-*



**XLV. Analysis partes duae sunt Praecognitio & Recognitio.**

*Praecognitio est analysis thematica, qua thema investigatur ac dijudicatur; Haec est fons, clavis, & norma Recognitionis. Investigatio est thematis inventio; dijudicatio distinctio.*

*Utraq; promovetur notarum thematicarum observatione & Traetationis collatione: de quibus summatim notetur.*

1. *Nota thematica ostendunt genus differendi, personas diferentes vel rem differendam. Genus differendi indicant Adverbia thematica; eaque generalia, interrogandi & respondendi; vel specialia; eaq; vocandi, demonstrandi, hortandi & prohibendi: Interjectiones; quae statum differentium, inprimis proponentis, expriment: & verborum Tempora ac Modi.*

2. *Tempus indicativi praesens rei praesenti, adeoque doctrinae generaliori: praeteritum praeterita, ut historiae, laudationis, vituperationis; futurum futura & facienda, ut consilii, legislationis, sanctionis, petitionis, prophetiae &c est index. Quamvis autem in Scripturae praesertim in V. T. tempus praeteritum cum futuro & vicissim permutetur nunquam tamen id fit frustra sed semper gravis ratio subest, cujus neglectus imperfectam interpretationem parit.*

3. *Modus indicativus dogmatica, imperativus & subjunctivus praeterea dissertationi convenit. Etsi lingua sancta subjunctivo modo ac temporibus imperfectis ac plusquamperfectis carcat ipsa tamen contextus sciuntissime exprimit ac distinguit.*

4. *Personam proponentis indicant pronomina prima persona. Ego & Nos; percipientis, vocativus, & pronomina personae secundae.*

5. *Rem differendam, seu ipsummet thema, exprimit Nominativus substantivi primarii, vel infinitivus, aut oratio ipsius loco posita; itemq; pronomina personae tertiae: item Tituli: ut historia, visio, lex, canticum, &c: ubi excellunt tituli Psalmorum qui omnes sunt didascalici, 1 chron. 6. 31. & 25. 1. & d. & 2. chr. 29. 17. Ezrae 3. 10. nec solum cantus modum gradumque sed & rerum expriment.*

6. *Scopus totius dissertationis est methodi; conclusio syllogismi; subjectum, propositionis thema.*

**XLVI Analysis Thematica absolvitur Reduelli-ne & Deductione thematicae.**

*Reductio Thematica est qua textum ad suas tabulas certasq; classes revocando ejus differentiam observat.*

*Estq; triplex Pragmatica, Systematica, & Pradicamentalis.*

*Tabula Pragmatica est omnium modorum differendi in Scripturae occurrentium ordinata*

*ordinata representatio. De ejus usu observationes & exempla quaedam subjungemus.*

1. *Universum V. T. est typicum, adeoque propheticum. Deut. 29. 29. quorum verborum genuinus sensus hic est: Haec abscondita, ceremoniis adumbrata, Jehova Dei nostri sunt, ad ipsum pertinent: at haec revelata hae ceremoniae praecipuae, nostra & filiorum nostrorum sunt, ad nos filiosq; nostros pertinent, usq; ad seculum, tempus occultatum, scilicet N. T. ad faciendum omnia verba Legis hujus; ut Jehova Deus noster, Filius Dei, praestet omnia adumbrata, nos filiiq; nostri usq; ad ejus adventum observemus leges & ceremonias adumbrantes. Esai. 45. 15. Luc. 1. 70. Rom. 1. 2. & 10. 4. & 15. 4. & 16. 25. 1. Cor. 10. 6. 11. & 2 Cor. 3. Tit. 1. 2. tota epistola ad Hebraeos. Apoc. 19. 11. & 22. 6. si partes sunt proportionales utiq; & tota Gal. 4. 21. si Adam, Noach, Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, Moses, Josua, Simson, David, Salomon, Zorobabel &c, omnes populi Israelitici Sacerdotes & Reges fuerunt typi, utiq; ipsorum quoque status & res gestae.*

*Haec observatio magnum habet usum in explicatione V. T. ejusque ad N. T. applicatione & citatione.*

2. *Idem statuendum est de ceremoniis V. T. universis.*

*Nimirum habent quintuplicem usum 2. Tim. 3. 16. adeoque figurant & Christi, beneficia scilicet & judicia, & Christianorum officia.*

3. *Omnia miracula Christi sunt prophetica; hoc est: Miraculorum Christi ordo & usus representat spiritualia Christi erga ecclesiam ipsiusque membra beneficia. Matth. 8. 16. 17. cum Es. 4. & 9. 1 & d. Marc. 16. 17. 18. Hinc primum miraculum edidit in nuptiis Joh. 2. 11 ut suas cum ecclesia nuptias indicaret. Haec observatio habet insignem usum in explicandis prophetis, conciliandis Evangelistis, ipsorumque panharmoniam ostendendam.*

4. *Dissertationes Dei affectuose sum explicanda θεοπροπῶς; ac saepe sunt prophetica.*

*Sic Gen. 6. 7. 1. Sam. 15. 11. 29. & 16. 1. indicant mutationem non affectus sunt effectus.*

5. *Utinam Deut. 32. 29. Psal. 81. 14. Esai. 48. 18. & d non significat praeteritum ac irritum votum, sed futurum ac infallibile factum.*

*Es. 5. 4. non est pars Processus & defensio seu apologia Dei de factis suis praeteritis seu officio suo praestito; sed est quaestio de sententia seu judicio inferendo. Itaque non debet verti: Quid debui (multo minus quid potui) amplius facere vinea mea? sed Quid in posterum vinea mea faciendum.*



5. Non raro Scriptura partes vertuntur per praterita quasi sint historia, quum debeant verti per futura, sintq; vota.

Sic Psal. 18. 21. & d. & 26. cum Psal. 101. sic Psal. 119. merum votum est Ecclesie Judaicæ ad Christum convertendæ.

6. Error committitur si enuntiatio, seu propositio affirmans aut negans, habeatur pro dubio.

וַיִּירָא non est adverbium axiomaticum sed interjectio, loquentis circa rem futuram affectum exprimens: nempe spero quod, vel metuo ne. Jos. 14. 12. Exod. 32. 30. 1. Sam. 14. 7 Thren 3. 29. & Jobi 1. 5.

7. Cavendum quoq; ne enuntiatio limitata accipiatur pro illimitatâ: ut Matth. 7. 14. & 20. 16. Joh. 5. 22; aut conditionalis pro absolutâ; quales sunt multæ Dei promissiones & comminationes Jer 18. 7. & prophetia Jonæ: sic aliqui reprobi vocantur externè. Nec confundi debet propositio certo respectu vera cum omnimodè absolutâ. 2. R-g. 13. 19. El. 38. 1. ubi non est futurum absolutum, ut sit sensus tu certo morieris, sed potentiale, tu juxta natura cursum morereris, lethali-ter decumbis. Confer Gen. 20. 3. Joh. 4. 52. 8. Nec propositio essentialis seu substantialis est habenda pro accidentalibus, seu amplificante: ut Joh. 20. 28. Rom. 9. 5. Apoc. 1. 8. In duobus prioribus locis est solennis professio; in tertio totius libri summa & argumentum soli Christo applicandum; nullibi subjecta exclamatio

9. Dissertatio primaria est persona principalis, ut Dei, Regis, Domini; vel vicaria, persona minus principalis seu missa, ut Angeli, legati, servi. Dissertatio vicaria cause communis est, quum legatus est membrum societatis se mittentis: ut Septemvir Legatus Collegii Electoralis: Sic Josuz 22. 16 & d.

Hinc falsissima oritur interpretatio quando dissertatio persona principalis, Jehovah, habetur pro dissertatione Angeli creati ut Gen. 16. 13 & 18. 19. capp. & 32. 24 & 35. 1. Exodi 3. & 6. capp: & c. 20. ubi ipsemet Dei Filius immediatè, non Angelus creatus, Decalogum pro mulgat. Absurdum quippe est Legatum sibi vindicare argumenta propria Legantis (quæ inter excellent nomina & tituli, honor & cultus): præsertim in persona primâ.

Sic Filius Dei agit suam & patris causam Gen. 22. 16. Spiritus Sanctus causam omnium trium El. 6. 8.

10. Nec pro topographia, descriptio personæ, pro pragmatographia, descriptione rei; nec pro topographia vera profeta habenda est.

Sic Jobi 28. & pro. 8. vera persona describitur, scilicet æternus Dei Filius, non ficta

non ficta. Anverò vera vel ficta persona describatur docet textus congruentia: nominatum, nomina, officia seu opera, & cultus: præterea ubi cunque est introductio personæ fictæ ibi locum habet metonymia adjuncti pro subjecto, nec subjectum in actionibus personæ fictæ attributis diserte contradistinguitur à suo adjuncto.

Unde patet Spiritum Sanctum esse Personam veram non fictam. Quum enim fingatur ab adversariis, ipsum esse astatum Dei, utiq; actiones ipsi attributæ vel Deo Patri vel hominibus eo præditis tribuendæ sunt. At neutrum in plurimis locis habet locum: ut Matthæ; 3. 16. & 28. 19. Joh. 14. 16. & 15. 26. 1. Cor. 12. 1. & d. 1. Joh. 5. 7. Rom. 8. 26. & frustra allegatur 1. Cor. 13. de charitate: quia nimis manifesta est disparitas: quippe quod omnia illa effecta hominibus charitate præditis competant.

11. In practicis dissertationibus accuratè distinguenda est permissio à præcepto. Deut. 24. 1. cum Matth. 19. 6. 7. Levitici 11. 2. 3. 21.

12. Observanda quoq; imitatio, seu varius habitudinum concursus, quâ una eademq; dissertatio respectu Ecclesie est promissio, respectu hostium ipsius comminatio: ut Gen. 3. 15. & d. & 13. 15. 16. & 15. 3. & 17. 1. & d. & 49. 8.

13. Cavendum ne questionem facti cum questione juris confundamus.

Sic non omnia sanctorum facta sunt probanda & si diserte à Scripturâ non damnentur. Cæteræ enim partes, inprimis leges generales, sufficiunt, ut de iis rectum judicium feratur.

14. Magno opus est judicio ne vel typos negligamus vel eos fingamus ubi nō sunt.

Totius V. T. administrationem typicam esse theorema primum ostendit. Sic Psalmus 8. & 19., ultimus, plurimiq; alii typici sunt ut patet ex Heb. 2. Rom. 10. & 15. capp. Contrarius error est si habeantur pro locis typicis quæ talia non sunt; sed solum & immediatè de Christo agunt ut 2. Sam. 7. Psal. 2. cum Heb. 1. & 22. & 45. ubi duæ regulæ sunt observandæ. 1. Cujus textus singula membra non sunt typica ille non est typicus: secus turbaretur textus, & verborum & sensus, connexio & proportio. 2. Aliud est phrasas quasdam & modos loquendi esse ab aliquâ resumptos; aliud de illâ agi tanquam de typo. Typus enim non solum est textus argumentum, sed & minus principale thema.

15. Scriptura, præsertim V. T. frequentissimè loquitur parabolicè.

Sic cultus V. T. externus totus quantum quantum est parabolicus est: sic plerq; promissiones prophetarum terrenæ parabolicæ sunt: sic templum Ezechielis c. 40. & seqq. parabolicum est, frustra q; corporeum expectatur à Judæis. Hic error est præcipua pars velaminis Mosaici. 2. Cor. 3. 15.



16. *Absurda confusio est quando in disputatione obiectio habetur pro conclusione vel responsione, & vicissim.* Liber Jobi complectitur illustrissimam disputationem: quumq; amici Jobi fuerint corecti à Jobo, Eihu, ipsoque Deo non omnia ipsorum dicta sunt habenda pro authenticis. Quam vis enim theses ipsorum veræ sint certo respectu, at tamen applicationes & hypotheses haud raro sunt falsæ. Sic in libro Ecclesiastis introducitur Epicureus disputans: itaque admodum ineptè ipsius objectiones habentur pro conclusione Ecclesiastis: ut c. 3. 19 & 9. 1.

17. *Malè vera consultatio habetur pro communicatione vel addubitatione rhetoricâ.*

Sic Gen. 1. 26. & 3. 22. & 11. 7. Es. 6. 7. 8. describuntur veræ cõsultationes non quatenus dicunt inquisitionis imperfectionem sed quatenus expriment summam amicitie & consensûs perfectionem.

*XLVII. Hâtenus de Reductione pragmatica, sequitur Systematica, que fit ad Tabulam encyclopadia.*

*Tabula encyclopadia est omnium disciplinarum in Scripturâ occurrentium ordinata representatio.* De eius usu sequentia notanda.

1. *Quum Scriptura sacra utatur omnium disciplinarum terminis & principiis (ut patet experienti) omnium disciplinarum idea seu tabula habenda sunt in promptu utiq; utendum.*

Imò ne Moses quidem potest intelligi, explicari & applicari, sine artibus mechanicis quum omnibus utatur; *architectonica* in structurâ tabernaculi Exod. 25 & d. *agricultura* in plurimis legibus de hyssopo, cedro, tritico, vine miâ, satione, messe &c: *pastoritia* & *venatoria* Lev. 11. Deut. 14: *gemmaria* & *metallica*, Exod. 25. & seqq: *textoria* & *pietoria* in auleis & Cherubinis. *alimentaria* in parando pane, potu, coquendis cibis: *musica* & *tubicinum arte* Num. 10. *unguentaria* Exod. 30. 34. *chirurgica* Lev. 21. 17. & d. Quomodo ergo ceteræ Scripturæ partes Moysi commentarii? Causa hujus rei est quod D. N. JESUS CHRISTUS est universæ tam Naturæ quam Scripturæ centrum, adeoq; Scriptura universâ naturâ ad ipsum representandum utitur. Hinc physicæ, quâ hucusque laborat, imperfectio magnam in Scripturæ interpretatione parit obscuritatem ac defectum.

2. *Falsæ oriuntur interpretationes si reductio fiat vel ad alienas disciplinas, vel ad unam tantum quando ob imbecitatem debet fieri ad plures.* Sæpius enim simplex reductio non adæquat verborum vim Sic Joh. 1. 1. 14. 18. Coloss. 1. 15. *ἵνα ἵσθῃς ὅτι ἡσὺς ἵσθῃς ἡσὺς ἵσθῃς ἡσὺς ἵσθῃς* &c d. Heb. 1. 3. *ἀπερὶ γὰρ ἡσὺς ἵσθῃς ἡσὺς ἵσθῃς ἡσὺς ἵσθῃς*,  
primariò

primariò, metaphysicè adeoq; pneumaticè & theologicè, ratione substantiæ; secundariò ratione efficientiæ & officii sunt intelligenda. Sic Joh. 15. 26. emanatio Spiritus primariò metaphysicè, secundariò symbioticè sunt accipienda; officium quippe & efficientia præsupponit substantiam & essentiam. Sic *vajomer* Gen. 1. non tantum est explicandâ symbioticè, sed præcipuè metaphysicè & pneumaticè.

Vicissim unitas Gal. 3. 20. coll. cum Exod. 19. 1. Tim. 2. 5. Zachariæ 14. 9. intelligenda est practicè seu symbioticè pro uniens & favens, non speculativè: *operari à seipso* Joh. 5. 9. 30. *facere à seipso* Joh. 8. 28. *à seipso loqui* Joh. 8. 16. 17. 18. & 14. 10. & 12. 49. item Joh. 16. 13. *loquetur à seipso* non sunt intelligenda metaphysicè pro proprio consilio, voluntate, & potestate loqui; sed symbioticè pro loqui ut sapientissimus, amicissimus, fidelissimusque legatus loquitur. Nam hi modi loquendi sunt ab officio legatorum & prophetarum. Jer. 23. 16. 17. 18.

Sic Apoc. 1. 8. & 21. 6. proximè ac immediatè non habet sensum metaphysicum qui exprimat durationem, sed symbioticum, officium, beneficiû scilicet & judiciû exprimentè. Confer Es. 44. 1. & 48. 1. unde hi tituli incongruè applicantur Deo Patri, quum sint Christi, juxta stylum Scripturæ, proprii. Quin omnia Dei nomina sunt proximè intelligenda practicè, de efficientiâ, per consequentiam vero at firmissimam, theoreticè de essentiâ.

3. *Non genuinæ, quin & falsæ oriuntur inter pretationes si non fiat reductio ad genuinam disciplinam subtitulum etiamsi fiat ad verum titulum.*

Sic Unitarii concedunt Christum esse Deum, sed non summum. Sic in totâ penitente ubique loquitur & videtur Jehovah loquitur & videtur Filius Dei non Pater. Gen. 17. 18. capp. Exodi, 3. 6. 24. 33. 34. capp. Lev. 9. 24. Num. 12. 8. & 14. cap. Deut. 4. Joh. 1. 1. 18. & 3. 13 & 6. 46. Sic Rom. 1. 3. 1. Tim. 3. 16. 1. Pet. 3. 18. *Spiritus* non pertinet ad personam divinam tertiam, sed secundam. Sic *hæc redimere* juxta Scripturam non est beneficium Patris vel Spiritus S. sed officium solius Filii Gen. 48. 16. Psal. 19. 15. Job. 19. 5. Es. 44. 24. & 49. 26. confer Lev. 25. & 27. capp: itemque librum Ruth Sic *πυκνωσὶς* portavit peccatum de Deo usurpatum non est actus judicis peccatum gratis condonantis, sed est actus Sponsoris, adeoque sacerdotis & sacrificii seu hostiæ poenas peccati experientis, & per consequens nullatenus actus Patris sed Filii. Exod. 28. 38. Lev. 16. 22. Exodi 34. 7. Sic maxima oritur obscuritas in prophetis quando non accuratè reducuntur ad distinctas ecclesiæ periodos: e.g. Templum Ezechielis c. 40. & d. item templum Johannis, quod unum idemque est, Apoc. 22. & 23. capp. perti-



esset. pertinet ad ecclesiam quidem triumphantem sed non omni modo, puta de omni peccato & morte 1. Cor. 15. 27. sed inchoatè de externis hostibus. Neque enim vel bonorum in illo procurandorum, vel malorum illinc removeandorum conditio permittit ut de vitâ æternâ intelligatur.

XLVIII. *Restat Reductio predicamentalis, quâ textus ad Tabulam Pradicamentalem revocatur. Tabula Pradicamentalis est omnium notionum in Scripturâ occurrentium accurata subordinatio.*

Hæc indicat primas & intimas planèque essentielles rerum differentias: præsertim si in eâ repræsententur non solum quædam genera sed etiam species & individua præcipua, adeoque ultimi modi & gradus.

Deeius ortu & usu agant philosophi: nec nos ob brevitatis studium hæc vice exempla proferemus. *Quemadmodum autem distincta rerum ad distinctos predicamentorum gradus reductio genuinam interpretationem insigniter juvat, ita eorum confusio sensus parit alienissimos.*

XLIX. *Reductionem thematicam sequitur Deductio thematica, quæ singula textus membra perse perpendendo ac inter se conferendo ejus Congruentiam observat.*

*Congruentia hæc consistit in omnimodâ dissertationis (quam hic textum vocamus) proportionem, quâ perfectum & quasi pulchrum corpus constituit.*

*Estque personarum, circumstantiarum, ipsiusq; dissertationis.*

*Congruentia personarum est respectu facultatum (scilicet cognoscentium, appetentium, & exequentium) status, & gestus.*

Tabulam personarum suppeditant artes logicæ, physicæ, & symbioticæ: de quâ paucas quasdam observationes addemus:

1. *Sicuti accurata personarum distinctio magnam lucem, ita earum confusio graves tenebras in Scripturæ interpretatione adfert.*

Sic nec 40. nec 41. nec 50. nec 60. nec multi alii Psalmi intelligi possunt nisi Christus in iis statuarur persona prima seu quæ loquitur: Sic ineptè à multis confunditur persona secunda cum tertia, seu persona ad quam Christus loquitur cum persona de qua loquitur, Matth. 23. 37. 38. Illa enim verba, & noluitis, non pertinent ad liberos quos congregare voluit, sed ad Scribas & Phariseos, qui se congregationi, quamvis frustra [ quoscunque enim congregare voluit, ipsis quoque invitit, & tum & antea in V. T. congregavit ] opponebant. Sic vulgari sophismate Rom. 5. 15. & 11. 32. omnes & singuli homines habentur pro personâ tertiâ: quum ibi non nisi *οἱ πολλοί*, hic non nisi *οἱ πάντες* intelligantur.

Sic hære-

Sic hærebat Eunuchus in personâ tertiâ. Act. 8. 34. Hinc Scriptura etiam in allegationibus N. T. nunquam confundit personas, quamvis primâ fronte id aliquando fieri videatur: ut Malachiæ 3. 1. Matth. 11. 11. Marci. 1. Nam quia Ichavah exercituum, Christus, dicitur Angelus federis utique & mittens est & missus: adeoque Pater qui ipsum misit misit etiam Johannem Baptistam.

2. *Stylus Scripturæ aliquando est exegeticus, quum solus Scriptor, aliquando dramaticus, quum aliæ personæ quam Scriptor: sapius mixtus, quum & Scriptor & aliæ personæ loquuntur: quæ varietas nisi prudenter discernatur magna oritur obscuritas.*

Solet quidem Scriptura haud rarò in eodem capite, imò & versu, præsertim in dissertatione patheticâ, mutare personas, verum tam artificiosè & congruenter ut ex analysi id facillè cognosci queat: Sic Joh. 1. 15. 16. 17. 18. loquitur non Johannes Evangelista sed Johannes Baptista. Sic Zachariæ 2. 12. 13. alternantur Dei & prophetæ verba *Nam sic ait Jehova exercituum:* (inferuntur verba Prophetæ: *qui post indictam gloriam misit me contra gentes istas quæ depredate sunt vos: quia qui tangit vos tangit pupillam oculi ipsius:*) *ecce ego agiturus sum manum meam contra illas. Erunt præda servis suis:* iterum subjunguntur verba prophetæ: *Ita agnosceitis Jehovam exercituum mississem.* Sic Zachariæ 13. 7. *Gladie, evigila contra pastorem meum, & contra virum proximum meum:* sunt verba Dei Patris: *Dicitum Jehova exercituum. percutite pastorem, & dispergentur oves: at reducam manum meam ad parvulos:* sunt verba Christi. Nec frustra est hæc personarum mutatio sed insignem habet usum: quippe quæ & consiliorum & executionis ordinem clarissimè repræsentat.

3. *Magnum quoque opere pretium foret paulò accuratius quam vulgò sit sermonem trium divinarum personarum in Scripturâ discernere: ita enim longè efficacius quoque confutarentur adversarii.*

Constat autem ex nominibus, operibus, epithetis, aliisque personalibus argumentis quænam persona loquatur: idemque demonstrat specialis congruentia Sic liquet Gen. 1. 26. loqui Patrem: Gen. 2. 15. & toto capite 3. Filium: Esaiæ 6. 36. cum Act. 28. 26. Spiritum Sanctum: Quin etiam alternatim ac quasi colloquentes præsertim in Psalmis & Prophetis hæ personæ introduci solent. Ita Esaiæ 49. v. 1. 2. narratur sermo Christi: v. 3. Patris: v. 45. Christi: v. 6. iterum Patris: v. 7. iterum Filii: imo fit hoc quandoque abruptè nondum absoluto versu: ut Psal. 95. 7. subitò introducitur Spiritus Sanctus. Heb. 3. 7.

L. *Status personarum differentium varii sunt, qui nisi judiciosè distinguantur turpis oritur confusio.*



Sic infelicitate ac planè monstrorè oriuntur cum opiniones tum interpreta-  
tiones si status Filii Dei non discernantur: ut: si status ejus ante incarnationem,  
qui describitur Joh. 1. usque ad v. 14. cum statu post incarnationem, de quo  
agitur à v. 14. ad 15: item si status exinanitionis cum statu exaltationis, status  
seu officium sacerdotale cum officio regio confundatur.

Ita quadruplex hominis status observandus; creationis vel confectionis, de-  
fectionis, refectionis & perfectionis: status Ecclesiæ ordinarius & extraordina-  
rius, pacatus & turbatus.

II. *Nec gestuum discrimen negligendum, qui sunt certi totius partiumq; cor-  
poris habitus; quies nempe vel motus.*

*Quies* ut stare, sedere, jacere: *motus*; ut accessus, recessus, ascensus, des-  
census; ire, equitare, vehi; manuum explicatio vel contractio.

Quanti momenti sit hujus observatio patet ex Es. 7. 16; ubi Elaias Searjascu-  
bum manu protensâ; & ex Matth. 16. 18. Joh. 2. 19: ubi Christus manu sibi  
applicatâ seipsum demonstrat. Hinc Prophetæ sæpius miris gestibus usi fuere.

LII. *Congruentia circumstantiarum est loci, ubi Topographia, & temporis,*  
ubi Chronologia.

*Prudens locorum consideratio insignem habet in Scriptura interpretati-  
one usum.*

Pleraque loca in V. T. fuere typica; ut paradus, itinera Abrahami, Isaci,  
Jacobi. Aegyptus, mare rubrum, itinera populi per desertum Num 33. Mons  
Sinai. Sion. Gal 4. 25. Nec in historiâ evangelicâ locorum differentia myste-  
rio vacant. Nihil enim respectu Christi casu vel fortuito factum.

LIII. *Sapiens temporum distributio, scilicet subordinatio & coordinatio,*  
*ut est historia ita & genuina interpretationis alter quasi oculus.*

Hinc trium illud, *Distingue tempora & conciliabis Scripturas.* Eccles. 3. 1.  
& d. Et Christus Phariseis & Sadduceis exprobrat, quod signa temporum non  
possint discernere. Sic aliud est tempus rejectionis, aliud receptionis & conver-  
sionis Judæorum. Rom. 11. Varii sunt Messie dies; illique prudenter discer-  
nendi & inter se conferendi. Lucæ 17. 22: de quibus prophetæ passim. Sic  
Matthæi 24. 3. non de duplici, sed triplici, tempore est questio; nempe de  
Hierosolymorum eversione, de singulari illâ & spiritali præsentia quâ Christus  
redibit ad suos Judæos, & tandem de consummatione seculi: Ad quas questio-  
nes primò respondet generatim usque ad v. 15: deinde speciatim; ad primam à  
v. 15. ad 21: ad secundam illinc usque ad 35. 36: tandem sub-  
jungit

jungit communia monita. Continet autem Sacra Scriptura perfectam Chrono-  
logiam ab initio mundi usque ad finem: nisi quod ultimam periodum non defini-  
at Apoc. 10. adeoque nobis extremi judicii diem, præcisè, non revelet.

LIV. *Congruentia ipsiusmet dissertationis est quâ omnia ad ipsam pertinen-  
tia sibi exaltè, respondent.*

*Estque communis vel specialis; Illa omnibus Scriptura partibus communiter;  
hac certis specialiter competit.*

*Specialis est interna, respectu scopi, subjecta materia seu objecti, & singula-  
rum partium; vel externa: eaq; prima seu proxima, respectu contextus, & se-  
cunda seu remota, respectu aliorum Scripturæ textuum; de quibus summatim  
sequentia notentur.*

1. *Sacra Scriptura omnibus numeris, modis ac gradibus, est congruentissima  
ac perfectissima.* Psal. 19. 8. & d; adeoq; purissima atq; ab omni defectu liberri-  
ma Psal. 12. 7. & 19. 2.

2. *Est maxime decora: personis, circumstantiis, statibus & gestibus ac com-  
modatissima; idq; semper & ubique.* Esaiæ 42. & 49. & 61. v. 1. & d. Rom. 1.  
16. 1. Cor. 1. 18. 2. Cor. 4. 3. 4. Deut. 6. 6. & d. 2. Pet. 2. 15.

3. *Ratione intellectus verissima, clarissima & certissima; ratione volunta-  
tis sanctissima; ratione facultatum exequentium utilissima & efficacissima;*  
uno verbo, *viva.* Psal. 119. 105. 2. Pet. 1. 19. 1. Cor. 1. 23. Heb. 4. 12:  
unde habet vim armorum & defensorum & offensivorum. Ephes. 5. 6. 7.

4. *Suavissima, cibi ac potus; pulcherrima, speculi ac imaginis; pretiosis-  
sima, gemmæ instar.* Psal. 119. 96. 103. 127. Jacobi 1. 23. Matth. 13. 45:  
Si quid incongruentiæ ipsi inesse videatur id reverà non inest, sed tantum ratione  
omnimodæ incongruentiæ humanæ. 2. Cor. 4. 4. videtur. Divino quippe con-  
silio non solum electis est odor vitæ ad vitam, sed & reprobis odor mortis ad  
mortem. 2. Cor. 2. 16.

5. *Universa Scriptura, tam Veteris quam N. T. omnium & singularum  
partium, etiam minimarum, scopus, objectum, seu thema & exemplar ade-  
quatum est Christus.* Exodi 25. 40. & 26. 30. Rom. 10. 4. 1. Cor. 2. 1. Act. 10.  
43. & 26. 22. 23. 2. Cor. 3. Apoc. 19. 10. Unde mirum non est Judæos, Judai-  
zantes, Unitarios, aliosque licet dies noctesque in scripturis versentur vel potius  
vagantur aded ab ipsâ janua & toto, quod ajunt, coelo ab errare. Nam clavem  
cognitionis auferunt Luc. 11. 52: estque ipsis Scriptura liber ob signatus Jesaiæ  
29. 10. & d; & tamdiu cordi eorum manet velameo impostum quamdiu ad

Dominum





Dominum, Jesum Christum, qui totius Scripturæ Spiritus est, non convertuntur. 2. Cor. 3. 14. 15. Nec ipsorum alienissimæ interpretationes defendi possunt nisi in ultimâ illarum analysi Scriptura absurditatis, id est stultitiæ, obscuritatis, falsitatis, profanæ perversitatis, variarum que ineptiarum damnetur.

6. *Sacra Scriptura est panharmonica, unum systema unaq; continua catena;* quippe ab uno auctore, juxta unam ideam, ob unum finem, nempe à Christo, juxta ejus instinctum, ad ejus gloriam data: *Unde expeditissima genuini sensus clavis est ingeniosa judiciofa, ac omnimoda collatio: quâ 1. singule textus partes cum singulis 2. cum antecedentibus ac consequentibus. 3. cum quibusvis Scriptura locis conferuntur* inquam, non solum voces & phrasas sed & res ipsæ: ubi excellit comparatio V. T. cum Novo ita instituta ut manifestè appareat, illud in hoc patere hoc in illo latere. Nihil quippe in universo occurrit evangelio, ne vocibus quidem communibus exceptis, quod non contineatur in Veteri. Hanc catholicam symphoniam eum ipsamet Scripturarum Christi & Apostolorum doctrinam suam probantium praxis demonstrat ac reverâ tota Scriptura nihil est aliud quam admirabilis primæ promissionis Gen. 3. 15. 16. commentarius. Prov. 1. 2. 3. 4. capp. Psal. 78. 1. 2. Eccl. 12. 13. Joh. 5. 46. 47.

7. *Talis igitur instituenta analysis ac interpretatio ut omnimoda ejus congruentia sartatecâ maneat, nec minima incongruentia & imperfectionis umbra ei affingatur;* secus sensus erit falsus vel saltem alienus.

LIV. *Hætenus de Præcognitione, sequitur Recognitio, quâ thematis tractatio investigatur ac dijudicatur.* Hæc quoque promovetur notarum observatione & tractationis collatione; & absolvitur singularum partium ad tabulas supradictas reductione ac deductione, nempe accuratâ præceptorum logicorum ad exempla applicatione.

LV. *Recognitio hæc continet subse analysin Criticam & Topicam: Critica methodicam, syllogisticam & axiomaticam.*

*Recognitio methodica est quâ universa disserationis (textus) anatome instituitur, partiumq; synometria observatur.*

Hæc insignem etiam habet in Scripturâ usum: quia ipsius methodus est plane divina. Nam 1. nullus est in eâ defectus, hiatus nullus; omnia homogenea adq; scopum ejus facientia sufficienter, quin & abundanter, in eâ continentur. Nec ullus Canonicorum librorum periit 2. Nulla in eâ antilogia vel antinomia, sed omnia suavissimè inter se coherent ac conspirant. Reperiuntur quidem in ipsâ, primâ fronte, multa ἐναντιοφάνη, specietenus contraria, nulla verò ἐναντία, res-

ver

verâ contraria. 3. Nulla in eâ tautologia vel peribologia, nihil in eâ supervacuum, nihil alienum: nulla otiosa rerum aut verborum repetitio. Quod accuratè tenendum, ne vulgò dicta synonyma ita interpretemur ut velunius voculæ emphasin enervemus. 4. Nulla in ea ataxia vel confusio, sed pulcherrima omnium subordinatio vel coordinatio. Unde ὁμοειδῆ πρῶτα ἑξῆς similesq; eryples semper singularem suam rationem usumq; habent. Nec Psalmorum nec Proverbiorum liber congruo ordine caret. 5. Denique in modo differendi nihil repetitur, indecorum vel inutile; sed omnia sapientissimè ac prudentissimè posita sunt. Quamvis enim solos aphorismos non proponat, sed varias historias, dialogos, similiaq; ornamenta inserat, argamen hic docendi modus, Deiscopo est accommodatissimus: qui ita πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως multifariam & multis modis, loqui voluit: Heb. 1. 1. ut πολυποίκιλος, multi formis sua sapientia à fidelibus ed facilius feliciusq; agnosceretur. Ephes 3. 10.

LVI. *Analysis Syllogistica est accuratum de syllogismo in sua principia resolutio judicium.*

Syllogismus autem non est Scripturæ affingendus vel inferendus (neque enim ubique disputat) sed, ubi latet, efferendus ac eruendus. *Cognoscitur partim ex notis*, ubi excellent conjunctiones ratiocinativæ ipsisque æquipollentes particulæ; *partim ex propositionem inter se collatarum habitudine;* ubi summo opere observandum, ratiocinationes Scripturæ esse firmissimas, accuratissimas, ac planè irrefutabiles. Quamobrem prorsus rupudianda est allusio vel accommodatio, quâ quidam utuntur ut efficacia argueunda varia mysteria salutis, nominatim Sacrosanctæ Trinitatis, demonstrantia ac V. Testamenti citatione ab ipsomet Christo ac Apostolis frequentatâ nixa, eludant. Fingunt enim de aliâ re, personâ, sensuque alio loqui Spiritum Sanctum inde aliâ re, personâ, & sensu prorsus alio loqui in Testamento Novo: quo ipso absurdissimi ac stultissimi sophismatis ipsum accusant. Nihil enim in universâ logicâ putidius est quàm si quis ipsa themata præsertim divina & humana, confundat. Nec juvat ipsos bonorum quorundam authorum consuetudo: ii enim ejusmodi allusionibus non utuntur ad demonstrandas sed illustrandas suas sententias. Sie ridiculus foret qui ita disputaret: *Germani suum perdent imperium: quia Virgilius dicit, Finimus Troes* Quare omnino explodenda est ejusmodi allusio in Scripturæ explanatione; quamvis multis multa loca sine ipsa insolubilia videantur.

LVII. *Analysis axiomatica est accuratum de propositione in sua principia resolutio judicium.*

D

Hic ex-



Hic excellit *distinctio propositionis propria: ab impropria seu tropica: ubi diligenter & defectus & excessus cavendus. Defectus*; ne locutiones improprias pro propriis habeamus: qui error ut gravissima. dissidia in Ecclesiâ peperit ita falsissimo nititur fundamento; quasi tropi sermonem reddant obscurum & ambiguum quum congrui sint illustra orationis lumina ac ornamenta. Unde in rebus maximi momenti frequentissimi à Spiritu Sancto adhibentur tropi: imo haud raro hyperbolas quoque usurpat. Neque enim scitiz hyperbolæ sunt mendacia. sed insignes ac efficaces veritatis enuntiandæ modi ac gradus. *Excessus*: ne enuntiata propria in impropria transformemus, vel absurdos troporum modos, etiam in impropriis, fingamus, vel ipsorum genera ac gradus confundamus. Quâ in re gravissimè peccant illi qui anthropopathias de Deo usurpatas ita interpretantur, ut veram in ipso mutationem, futurorum contingentium ignorantiam, verum desiderium, inanes spes, dolorem, poenitentiam, similiaque: monstra divinæ perfectioni adversissima, assererent. Num verò tropus, itemque: qualis et quantus, admittendus vel rejiciendus sit divina Scripturæ, toties à nobis laudata, congruentia clarissimè docet.

LVII. *Analysis tropica est accuratum de logica notionum inter se habitudine judicium.*

Hæc intimas quasi rerum ac textus fibras penetrat, ideoque diligentissimè urgenda est; minusque variorum logicorum respectuum in eadem re concursus, quem *immediationem* nobis vocare liceat, attendendus. Secus plena notionum evolutio ac explicatio non speranda. In primis verò cavendum ne imperfectiorem nostri intellectus ipsi nec rebus affingamus, sed prudenter inter *argumenta logica verè vel quasi* distinguamus. Ex cujus discretionis neglectu etiam doctis viris quædam argumenta subtilia ac irrefragabilia videntur quæ reverà futilia sunt. Sic malè colligitur: *Deus & ejus decreta sunt causa & effecta: Deus & ejus attributa sunt subjectum & adjuncta*; ipsamet attributa inter se sunt argumenta diversa; ergo re ipsa à Deo & à seipsis differunt. Divina & humana natura sunt quasi *Christi partes*; ergo divina natura est imperfecta. Has enim notiones logicas mens nostra divinis applicat; non ut aliquam imperfectionem illis attribuat sed ut suam imperfectionem sublevando ipsorum perfectionem innuat. Nimirum quatenus illæ relationes logicæ quandam perfectionem exprimunt applicandæ sunt, quatenus imperfectionem connotant corrigendæ. Ita sapiens opticus visus sui fallacias minimè rebus visis ascripsit.

LIX. *Atque hæc sunt media Scriptura interpretationem gubernantia universalis*

*versalia & infallibilia; superest medium particulare ac fallibile, nempe, Humanorum interpretum subsidium.*

*Est medium particulare*; quia nec semper, nec ubique, neque omnibus Scripturam medicantibus suppetere potest: *Est medium fallibile*: quia nullius vel doctissimi ac optimi viri, vel Patrum vulgò doctorum, vel conciliorum provincialium, Nationalium, & œcumenicorum, si darentur, tanta est autoritas ut in genuino Scripturæ sensu falli vel fallere nequeant. Soli Spiritui Sancto ejusque extraordinariis ministris hoc privilegium competit. *Itaque, predicti omnes sint utiles variorum sensuum indices non infallibiles eorum judices.* 1. Cor. 14. 29. 30. 1. Thes. 5. 20. 1. Joh 4. 1.

## DISPUTATIONIS PARS II.

### DE OMNIGENI SACRARUM LITERARUM Usus Investigatione.

LX. *Huc usque fuerunt media Scriptura interpretationem gubernantia, sequuntur consummantia, qua circa omnimodum ejus usum versantur.*

*Usus Scriptura vel accipitur pro ejus utilitate & vi, vel pro ipso actu & usurpatione*: Illo modo usus Scripturæ est ejus efficacia, quæ est perfectissimum ecclesiæ semen, fundamentum ac stabilimentum: Hoc, est Scripturæ rectè explicatæ dextra ad omnimodam ecclesiæ in fide, spe, & charitate ædificationem applicatio.

LXI. *Usus Scriptura considerandus est generaliter & specialiter.*

*Consideratio generalis agit de rebus utendis, personis utentibus, modisque utendi communiter; specialis de singulis particulariter.* Nos, hæc vice, utramque, brevitate ergò, aphorismis quibusdam declarabimus.

1. *Scriptura sacra est ad omnigenam cum universa Ecclesia tum singulorum fidelium ædificationem omni-sufficiens adeoque fidei & vite Christiana canon ac norma perfectissima & planè adequata.*

Deut. 4. 2. 6. 8. & 11. 18. & d. & 12. 32. Num. 15. 38. & d. Psal. 1. 2. & 19. 8. & 119. 1. 2. & d. 96. Prov. 30. 11. 12. Ecclesiasticis 12. 13. 14. Est 8. 13. 19. & 29. 13. Matth. 15. 3. 8. 9. Rom. 1. 16. 2. Tim. 3. 15. 16. Gal. 1. 8. 9.

2. *Est, inquam, norma omnium actionum humanarum generalium, specialium &*



lum & specialissimarum prorsus catholica; ac proinde unica & absolutissima cuiusvis humana conscientia lex, ex qua scire potest non solum in genere quid sui sit officii sed etiam quid in quovis, etiam maxime singulari, omnium rerum ac personarum statu sibi agendum sit. Hinc omnes, quos vocant, casu conscientia ex illa definiiri possunt ac debent: Sic Paulus non solum demonstravit ex Scripturis oportuisse Christum pati, et resurgere ex mortuis; verum etiam hunc Jesum, quem ipse illis annuntiabat, esse Christum illum. Act. 17. 3. & 18. 28. Hanc rem, quia maximi est momenti & usus, non nihil explicabimus. *Norma actionum humanarum*, id est, a libero ejus arbitrio profectarum, respectu hominis agentis, est *externa vel interna*. *Externa est universalis, Scriptura sacra*; quæ legem naturæ præsupponit ac includit. Rom. 1. 20. & 2. 14. 15. 16. 1. Cor. 6. 1 & 11. 14; *vel particularis, præsens agentis status; qui est omnimoda societatis*, personarum, locorum, temporum, causarum ac habitudinum tam internarum quam externarum collectio & concursus; *subordinatio*, scilicet & *coordinatio*. *Norma interna & proxima hominis agentis est cuiusvis Conscientia*. Porro quævis actio hominis singularis seu individua est, vel saltem esse debet, conclusio conscientia practica; ac proinde præsupponit propositionem & assumptionem. Si sit conclusio universalis, generalis aut specialis, ipsa met Scriptura haud raro utramque propositionem suppeditat. Etenim leges Scripturae generales inter se junctæ promunt speciales; hæ inter se ac cum generalibus complicatæ promunt specialiores. Si verò conclusio sit specialissima seu individua Scriptura suppeditat propositionem, ipsamet præsens agentis status, quem divina providentia ordinat agenti, verò ipsa rerum natura ac viva experientia demonstrat, assumptionem: idque tam evidenter ut sufficiens lumen piorum conscientia in omnibus casibus subministrat. Hoc Scripturae ac experientia dictamen scitissime indicat Scriptura dum ipsamet experientiam præsentemque rerum statum *os Dei*, aliquoties nominat. Num. 9. 15. & d. Nimirum, *Jehova dictum factum est & factum dictum*. Gen. 1. 3. Ezech. 12. 29.

3. *Universa Scriptura singuleque ejus partes divinum usum habent.*

2. Tim. 3. Omnis Scriptura divinitus inspirata est utilis; id est, tota totius partes partium seu proportionalem, usum præstant. Ideo Christus dicit Matth. 5. 19. Usque dum præterierit coelum & terra jota unum aut unus apex nequam præterierit ex lege usque dum omnia facta fuerint. Unde & nomina propria præsertim in chronicis, coacervata suum habent, usum & quam diu loci alicujus Scripturae insignem usum non videamus tam diu genuinum ipsius sensum non

sunt nondum sumus assecuti. Quid? ipsum Scripturae silentium eximii est usus ac præclara mysteria docet. Heb. 7. 3. Ezech. 3. 11. Dan. 12. 9. Apoc. 10. 4. Matth. 1. 8.

4. *Omnis Scriptura usus vel expressè in ipsis verbis contineri, vel ex iis, necessaria consequentia, deduci debet: & vicissim; Quicquid ex ipsis necessaria consequentia deducitur, id reverà in iis continetur.*

Prioris artificii fundamenta sunt disciplinarum, in primis primæ Philosophiæ ac logicæ, extiomata omni exceptione majora, nobilissima verò exempla Christi & Apostolorum deductiones, omnibus Scripturae studiosis accuratè imitandæ.

Posterius axioma verbis factive negant illi qui vel nullum vel saltem ad salutem necessarium dogma admittunt quin totidem literis ac syllabis in Scripturâ occurrat. Sanè admodum iniquè vel imperitè. Hæc enim ratione omnem rectæ rationis usum tollunt: Christum ac Apostolos suam, etiam maxime fundamentalem, doctrinam per meras consequentias demonstrantes ineptiæ; seque ipsos stultitiæ damnant. Pecus enim est non homo, qui præmissis, propositione ac assumptione, concessis conclusionem negat. Ubi in primis illorum deploranda est pertinacia, qui summa fidei mysteria ideo derident, quod in Scholis, imò jam ab aliquot seculis usitati termini, v. g. *trinitas, suppositum, coessentialis, incarnatio, Christi satisfactio* similesque in sacris literis non repèriantur. Iicet voces ac phrasæ tum æquipollentes tum plerumque vulgaribus clariores ac efficaciores (hactenus tamen non satis observatæ ac explicatæ) tam in V. quam in N. T. habeantur. Magnus quoque illorum est stupor & ignavia qui plerumque controversias practicas ex Scripturâ perfectè deciderent, ideoque ad hominum inventa ac commenta provocant.

5. *Talis & tantus est Scripturae usus ut sit vita humana tam privata quam publica norma planè Catholica.*

*Vita privata*: scilicet tum infantium tum adultorum. Deut. 6. 7. & 12. 19. & 31. 12. 2. Tim. 3. 15. tum foeminarum tum virorum. Actor. 17. 24. 2. Tim. 1. 5. Johannis epistolâ secundâ: tum peregrinorum tum indigenarum; tum indoctorum tum doctorum Rom. 1. 16. Evangelium est potentia Dei ad salutem cuiusvis credenti. Idem docet praxis veteris & Novi Testamenti. Hinc contra Scripturam nulla vel temporis vel loci præscriptio, nulla quorumcunque privilegiorum exceptio valet.

6. *Vita publica tam Ecclesiastica quam politica. Ecclesiastica*: 2. Tim. 3. 16. *Ut ille homo Dei, propriè Dei legatus & interpretis, sit perfectus, id est, omnibus par-*



vibus partibus ac numeris absolutus, ad omne, tam disciplina quam doctrine, opus bonum perfectè, sine ullo defectu aut excessu, omnimodo & gradu, instructus. Ideo clamat Moses Deut. 5. 38. & 28. 14. Ne recadatis dextrorsum vel sinistrorsum: & Num. 15. 39. Ne exploretis post cor vestrum, id est, post ingenium iudiciumque vestrum, inventiones vestras; nec post oculos vestros, id est, aliorum exemplum ac consuetudinem; secus scortabimini. Ideo fulminat Paulus Gal. 1. 8. Sed etiam si Nos aut Angelus è cælo evangelizaverit vobis præter id quod vobis evangelizavimus, aut præter id quod accepistis, anathema esto. Dicit præter, non contra. Nimirum quicquid in ecclesia præter Scripturam fit contra eam fit; idque tam in ritibus quam in dogmatibus: secus doctrina de ritibus non foret pars evangelii.

Itaque nulla personarum, rerum, locorum vel temporum, actionum ac relationum differentia in ecclesia admittenda quin ex Scripturâ demonstretur: vicissim, nulla personarum, rerum, locorum vel temporum, actionum ac relationum differentia in ecclesia omittenda quæ ex Scriptura demonstrari potest.

Quas obres non solum ferio optandum sed & sedulo conandum curandumque est, ut ecclesie Reformatæ non minus disciplina & gubernatione, factis, quam doctrinâ & disputatione, verbis, omni sufficientiam Scripturæ agnoscant & præstent.

7. Vita politica tam bellica quam civilis.

Bellica; non tantum gregariorum militum Lucæ. 3. 14. sed & ducum Act. 10. 1. quin & summorum Imperatorum. Josue 1. 8. Ne discedito liber iste legis ex ore tuo, sed meditaberis de eo interdiu & noctu, ut cum observantiâ facias omnino prout scriptum est in eo; tunc enim prosperaberis in viis tuis & tunc secundaberis.

Civilis: non tantum civium & subditorum, iudicium inferiorum, Deut. 1. 15. 16. 17: sed etiam summorum Magistratum, ipsorumque Regum. Deut. 17. 18. 19. 20. Sederit quum insidebit folio regni sui; ut describat sibi exemplum hujus Legis in libro, ex eo qui erit in conspectu Sacerdotum Leviticorum: Eritque penes eum, & leget in eo omnibus diebus vitæ suæ: ut discat timere Jehovam Deum suum, observare omnia verba hujus Legis, & statuta ista faciendo ea. Ne efferatur animus ejus præ patribus suis, & ne recedat ab hoc præcepto dextrorsum aut sinistrorsum: ut prolonget dies in regno suo, ipse & filii ejus, in medio Israelis.

8. Atque hinc verus omnis humana justitia scopus, fons, ac exemplar eluceo Nimirum.

Nimirum, quæcunque œconomica, scholastica, politica, juridica, bellica, lex: constitutio & consuetudo juri divino, puta Natura aut Scriptura, repugnat non justa sed reverâ injusta est. Psal. 82. 1. 2. 6. Ego dico: Dii estis. 2. Chron. 19. 5. 6. 7. Videte quid sitis facturi. Non enim pro homine judicaturi estis sed pro Jehova: qui vobiscum futurus est in rebus judiciariis Rom. 13. 1. & d. Quæ sunt potestates sunt à Deo ordinatæ. Dei minister est tuus bono. Hinc omnia jura; ut Romanum, Hungaricum, Gallicum, Anglicum, Polonicum &c. ad Sacræ Scripturæ amissim sunt examinanda & reformanda: nec ulla solida pax, tranquillitas ac felicitas, donec hoc fiat, speranda est. Quod omnes Icti, qui aliquam veræ prudentiæ sanæque conscientiæ micam habent, fateri debent ac solent. Ita Verbocius prol. Tit. 9. Nec enim summus Pontifex vel alius quispian possit statuere ut non observaretur verus vel Novum testamentum; vel quod liberi non educarentur à parentibus: quavis paulo post non satis accurate loquatur. Neque enim contra jus divinum vel naturale est, quod prædo vel fur nocturnus occidatur: quum illud præcipit, hoc permittat. Et quam necessaria sit Juris Tripartiti emendatio non modo subsecræ Constitutiones ac Articuli sed & ipse Kirronich Direct. Mémoriale c. 6. q. 4. testatur.

9. Neque hæc absoluta Scripturæ Sacræ Mæstas politica: um libertatem ac varietatem Supremi, Magistratus auctoritatem tollit, verum potius ponit ac stabilis.

Quamvis enim leges politice divinis contrariæ ipsò jure nullæ sint, licet tamen cuivis Reipublicæ; in negotiis merè politicis, sapienter ac prudenter, pro ratione circumstantiarum: speciales quasdam leges, quas ideo positivæ vocant, condere ac sancire; quibus societatis membra se, etiam propter conscientiam, subijcere debent. Et hæc habet locum illa distinctio: Quamvis leges politice non debent esse contra; possunt tamen esse præter Scripturam; quam Magistratus auctoritatem malè quidam Ecclesiastici imitantur, dum Canones cudunt quos nullatenus ex Scripturâ probare possunt. Præcipua enim inter civilem & Ecclesiasticam potestatem differentia est; quod Deus illi legum specialium condendarum libertatem concesserit; huic suarum observandarum necessitatem, strictè & præcisè, sine nullâ additione vel diminutione, imposuerit. Deut. 1. 2. 32 Unde eâtenus ecclesiasticis constitutionibus parendum est quatenus firmâ & clarâ consequentiâ ex Scripturâ deducuntur. Act. 26. 22. Nec quicquam dicens extra ea quæ Prophetæ ac Moyses futura prædixerunt. 2. Corinth. 4. Non cum calliditate ambulantes, neque fallantes sermonem Dei, sed declaratione veritatis.



na veritatis commendantes nos ipsos apud omnem conscientiam hominum, in conspectu Dei Ratio est: quia ecclesiastici ita sunt ministri Dei ut sint etiam ministri Eccl. sive oculi aëneus domini. Matth. 26. 25. Marci 10. 42. Luc. 22. 25. 1. Pet. 5. 3. sed magistratus politici ita sunt ministri Dei ut sint etiam suorum subditorum domini Prov. 8. 15 per me reges regnant, & dominatores decernunt justitiam Rom. 13. 6. 7. Verum hæc libera Magistratum potestas ad negotia merè politica non etiam ad ecclesiastica est extendenda. Nam in his ipsis æquè ac ecclesiasticis mera obedientia à Deo præscripta est. Neque tamen ideo existimandum est, Magistratus Christianos lègibus Mosis ceremonialibus ac forensibus, solius Rei p. Judaicæ propriis, esse astringendos. Illæ quippe omnes typicæ, adeoque per Christi in cœlum ascensionem abrogatæ, fuere; Nihilominus divina ipsarum utilitas adhuc viget; videlicet, quod communis æquitas, quæ paribus paria, imparibus imparia, similibus similia, dissimilibus dissimilia tribuit, ex eis mirificè elucescat.

10. Hos usus Scriptura non mōdo sufficienter sed & abundanter præstat Etenim non solam N. sed etiam V. T. perfectam pietatis ideam suppeditat, idque partim propriis partim figuratis verbis. Sic cultus Leviticus est perfectissimum vitæ Christianæ speculum ac compendium: quod Christus absolutissimè implevit, nos verò imitari debemus. Rom. 8. 1. 2. 3. & d. Nec tantum Scriptura officium, verum etiam officii rationes, modos ac media, adeoque incitamenta, instrumenta ac impedimenta, docet: idque tam accuratè ac plenè ut vivi Israelis fontes uberrimè sufficiant, & nec humanorum inventorum, nec profanorum auctorum cisternis (præsertim in concionibus) opus sit. Jer. 2. 13. Ut omnimodus omnigenusque sacrarum literarum usus eò clarè elucescat duo scrupuli sunt removendi, qui piis juxta ac doctis viris sæpe negotium faciunt.

Primo videtur non omnes ac singulas Christiani hominis actiones tam rigidè esse ad lydium sacrarum literarum lapidem examinandas: quippe quod plurimæ actiones humanæ sint adiaphoræ, adeoque à solo agentis vel Ecclesiam gubernantis beneplacito pendeant. Sed sciendum; etsi multæ actiones generatim vel speciatim, id est, perse sine circumstantiis consideratæ, adiaphoræ rectè dicantur; nullam tamen actionem verè humanam, id est, ab humano arbitrio profectam, singularem seu individuam esse adiaphoram, sed moraliter & theologicè vel bonam vel malam. Hoc cum ex rei naturâ tum ex Scripturâ clarè patet. Ex naturâ: quia quum actio ex hypothesi sit individua, adeoque perfectissimè ab univer-

ab universo rerum statu determinata quomodo adhuc respectu moralis congruentiæ & incongruentiæ indeterminata esse potest? Ex Scripturâ: partim quia ejusmodi actio foret otiosa; omnis autem actio [imò verbum] otiosa mala est: Matth. 12. 36: partim quia quicquid sermone, aut factio fecerimus id in nomine Domini Jesu, adeoque ad Dei gloriam, juxta ipsius voluntatem, ex verâ fide facere debemus Colos. 3. 17. 1. Cor. 10. 31. Rom. 14. quâ ratione igitur actiones nostræ singulares moraliter indifferentes esse poterunt? Nec juvat illos qui sub indifferentiæ ac Christianæ libertatis pallio suas inventiones vel otiosas consuetudines ecclesiis obtrudendo dictaturam exercent nobilissimum Pauli dictum. 1. Corinth. 14. 40. πάντα ἐὺ καὶ ὀρθῶς ἔστωσαν: omnia decenter & ordine fiant. Neque enim id decorum est quod alicui vel aliquibus videtur, sed id demum quod rerum Natura ac status postulat: neque id ordinatum quod aliquis vel aliqui sine firmâ ratione statuunt, sed quod Deus in verbo suo præscribit. Non, inquam, ab humano arbitrio sed à divinâ providentiâ ejusque lege actionum Christianarum decorum ac ordo pendet. Non tamen negamus quasdam minùs principales actionum humanarum circumstantias tam similes ac æquales reperiri, ut ab agente, sine culpâ æquiparari unaque pro alterâ substitui possit. Sic patet omnes Christiani hominis actiones debere ad Scripturam examinari, sed secundò quæritur An possint. Videtur enim divinam revelationem non sufficere in N. T. præsertim in actionibus obscuris, dubiis ac perplexis, ubi sæpius nec jus nec circumstantiæ satis cognoscuntur; in veteri autem T. fuisse pleniorè & accommodatiorem; quippe quod præter scriptum Dei verbum etiam somnia, prophetas, & Urinos habuerint. 1. Sam. 28. 6. Num. 12. 6. De hoc nodo forsân peculiarem dissertationem edemus, jam breviter respondemus. Quid Urim et Thummim fuerint nondum satis liquet. Certum est fuisse corpus auro ac gemmis præstantius profundioribus philosophis sat notum; nec solius ornatus sed & maximi usus ergò pectorali inditum: ut pote cujus beneficio gravissimæ & intricatissimæ quæstiones definiri & potestari et debebant: sicuti manifestum ex variis Scripturæ locis. Exodi 28. 15 & d Lev. 8. 8. Num. 27. 17. 21. 1. Sam. 23. 6. 9. Esdræ 2. 62. Nehemiæ 7. 65. Verumtamen divina voluntatis, etiam in maximè prædictis ac difficilissimis quæstionibus, cognitio & agnitio in N. T. manet & clarior & certior & facilior. Id que primò quia Scriptura multis partibus est auctior clariorque; in primis autem libri prophetici sunt plenissimi ac illustrissimi, quorum ductu ecclesiæ status ac gubernatio, fructuosissimè, disci ac intelligi potest. Deinde Spiritus Sanctus



Sanctus longé uberiús ac efficacius effunditur in N. T. quám in veteri. Act. 2. 16: qui est perfectissimus omnium fidelium in quibusvis ipsorum viis ac semitis Doctor & Ductor. 1. Joh. 2. 27. Vide supra Thesi XVII. Denique quilibet fidelis habet verum & spirituale Urim & Thummim in pectore suo, nempe lucidissimum ardentissimumque modó indicatum Summi Sacerdotis. D. N. Jesu Christi, Spiritum: Rom. 8. 2. 14. Gal. 4. 6. quilibet etiam fidelis est sacerdos, qui & consuli & consulere potest: Apoc. 1. 6. Nimirum *ardens instansq; Precatio est catholica illa Jesu Christi per Urim & Thummim interrogatio*: cui ipse per ineffabilem lucem invictumque motum & impulsum piorum consulentium conscientie ira respondet, ut & de officio suo certi & de salutari eventu sint securi. Matth. 7. 7. 8. Rom. 8. 26. Heb. 4. 16. 1. Joh. 3. 22. 23. & 5. 14. 15. 2. Pet. 2. 19 vide supra Thesi XVIII.

II. *Consideratio usus Scriptura specialis & partium Scriptura utendarum, & personarum utentium, & variorum modorum utendi discrimen expendit.* Nos summa modorum capita paucis attingemus.

12. *Omnigenus omnimodusq; Scriptura usus invenitur si & integer textus & singula ipsius partes cum disciplinarum, maxime generalium ac Theologia notionibus conferantur; atq; ex hac callatione & combinatione consecraria deducantur.*

Hinc quot sunt L. C. Theologici, eorumque tituli ac subtituli tot possunt esse usus. Hoc artificium miré promovent Tabula supraindicata Thesi XLVI.

13. *Usus Scriptura est theoreticus vel Energeticus*: Esai. 42. 1. & 49. 1. c. 2. Tim. 3. 15. Rom. 15. 4. *Theoreticus est qui versatur circa cognitionem veri*: Hic gubernat intellectum. Hujus tabulae compendium est *Symbolum Apostolicum*. Estque *Didacticus vel elencticus*.

14. *Usus Didacticus est quo fidei articuli confirmantur; seu, est salutifera veritatis probatio.*

Ejus regula sit: *Percurre tabulam doctrinarum theologicarum usq; affirmativé applica textum.* Nititur rerum convenientiá. Hic excellit *usus propheticus qui futurum Ecclesie ac Republica statum scrutatur.*

15. *Usus Elencticus est quo errores contra religionem excogitati refutantur; seu, est spiritualis falsitatis improbatio.*

Ejus regula sit: *Percurre tabulam errorum theologorum, usq; negativé applica textum.* Nititur rerum disconvenientiá.

16. *Usus energeticus est, qui circa cognita veritatis, seu boni, productionem versatur.*

*versatur. Estq; Practicum vel Poeticum. Practicum est qui circa Actionem, id est, honestam boni productionem versatur.* Hic gubernat Voluntatem docetq; officium. Divinum Tabulae practicae compendium est *Decalogus*.

17. *Usus practicus est padeuticus vel Epanorthoticus. Padeuticus est institutio & exhortatio ad Christianarum virtutum Studium*: docetque *Quid & quare fieri debeat.* Est boni informatio.

Ejus regula sit: *Percurre Tabulam virtutum Christianarum, usq; affirmativé applica textum.*

18. *Usus epanorthoticus est correctio & dehortatio á vitiis*: docet *Quid & Quare non fieri debeat.* Est mali reformatio.

Ejus regula sit: *Percurre Tabulam vitiorum, usq; negativé applica textum.*

19. *Sequitur Usus poeticus qui circa Effectiorem, id est, artificiosam boni productionem versatur.* Hic gubernat facultatem executivam, soletque ac potest revocari ad practicum.

*Estq; paracliticus vel Phobeticus.*

*Usus paracliticus, seu consolatio, est quo infirma & afflicta conscientia animatur, ejusq; dolor curatur.* Hic docet *Quid & Quomodo fieri possit.*

Ejus regula sit: *Percurre Tabulam casuum conscientia, adeoq; omnium miseriarum & tentationum, usq; sic applica textum ut firma spei media & modi appareant.* Hujus tabulae compendium suppeditat *institutio Baptismi & Sacra Cena.*

Huc solet revocari *Usus Euteticus & Eucharisticus.* *Euteticus est, quo ex fiducia erga Deum vel bona petimus vel mala deprecamur.*

Ejus regula sit: *Percurre Tabulam humanae indigentia & miseria usque applica textum.*

*Usus Eucharisticus est, quo pro acceptis beneficiis Deo gratias agimus.*

Ejus regula sit: *Percurre Tabulam humanae indignitatis & divinae benignitatis usque applica textum.*

Divinum proximarum tabularum compendium est *oratio Dominica.*

20. *Usus phobeticus, Tertior, est quo conscientia stertens & arrogans excitatur ac domatur.* Hic docet *Quid & quomodo non fieri possit, remouetque impedimenta.*

Ejus regula sit: *Percurre Tabulam gigantea profanitate, pharisaica calliditate seu hypocritas, & divinae severitatis, usque applica textum.*

Hujus Tabulae compendium suppeditat *Institutio clavium*. Matth. 16. 18. 19. & 18. 15. & d. Joh. 20. 22. 23. E 2 21. Usus



21. *Usum Scriptura consummat Applicatio, qua est usum ex textu ritē de-  
dūctorum fructuosa ac pathētica ad presentem statum accommodatio.* Heb. 4.  
12. 1. Cor. 14. 25. vide Thesin XLIII.

Ejus regula sit: *Percurre Tabulam Ecclesiasticam* ( adeoque quatuor vitæ  
humanae ordines. scilicet œconomicum, Scholasticum, Politicum & Ecclesiasti-  
cum & singularum personarum statum ac vitam ) *illiq; & textum & usus inde  
deductos applica.*

22. Restat ut ostendamus *quā preclara beata hujus artis magistra fueris  
Beata virgo Maria*, ut vel saltem ab ipsā illi qui eam, idololatriæ suo cultu,  
atrocissimā injuriā afficiunt, sacrarum literarum amorem, honorem, perfectum-  
que usum discant. *Fuit Spiritu Sancto plenissima*; Luc. 2. 28. 35: *in oratione  
forvidissima*. v. 46. Act. 1. 14: *in temptationibus exercitissima*; v. 29. & 2. 35  
*preparatissima*; c. 2. v. 19. 5. 1. in corde; *idq; ratione prævia scientia*: πᾶσι  
σοφίῃς καὶ δειψίῃς τὰ ἐν ματαῖς ἰδύσα omnia illa verba conservabat & perserva-  
bat: *ratione diligentia* c. 1. v. 39: *tam in universali receptione*; *Omnia, quam  
in firmissimā retentione*: *ratione justa astimatione* & sui v. 48. & *Scriptura*:  
v. 45: *ratione ardentis desiderii*. v. 34. *constantis amoris & summa oblectatio-  
nis*. v. 46. 47. *denique ratione vita sanctissima*, ut universa ejus historia ab-  
undē testatur.

*Fuit in mediis gubernantibus versatissima*: *Habuit enim hypotyposin sano-  
rum sermonum*. c. 1. 55: *mensuram fidei excellentissimam*; v. 45. 46. 47. &  
*œconomiam temporum exaltam*: ibidem: *instituit analysin, præcognitionem &  
recognitionem, Reductionem & Deductionem*, uno verbo, COLLATIO-  
NEM *accuratissimam*. c. 2. v. 19. συμβάλλουσα omnia omnino, res & verba,  
audita & visa, optimē conservata & expensa, *conferens*: ac *universum logicum  
artificium adhibens*. c. 1. v. 29. διεκείνη ἐξ ἑσπερο, cogitabat & discurrebat; sapien-  
tissimē investigabat ac interrogabat. v. 34.

*Tandem in mediis consummantibus ac beatissimo usufructuq; planē fuit di-  
vina*; Hinc in ipsius cantico omnes & singuli usus occurrunt.

## COROLLARIA

I. Esse quandam Scripturam sacram, eamque esse hanc quam Christiani  
Reformati dicunt, potest demonstrari.

II. In Scripturā nullum est σφάλμα: nec in V. T. Keri & Chetib unquam  
inter se pugnant.

III. Verbum Dei est prius Ecclesiā naturā, auctoritate & tempore.

IV. Pontifi-

V. Pontificii Scripturæ auctoritatem in Ecclesiæ auctoritatem resolventes  
committunt Circulum absurdissimum.

V. Valeriani Magni Capucini fidei Analysis, quam in suis contra Biblias  
libris instituit, est stultissima, facerrima, & ineptissima; imō prorsus insana  
vel athea. Nam sensum, rationis, & Spiritus Sancti testimonio ē medio sub-  
lato plusquam aniles & pueriles nugas pro Christianismi fundamento substituit.

VI. Ad gentilium conversionem corporeis miraculis hodie non est opus.

VII. Nisi universalis Judæorum, brevi futura & per plurima seculā dura-  
tura, conversio sit expectanda, universa Scriptura solvitur.

VIII. Hæc conversio fiet quidem singulari Scripturæ sacræ, præsertim ve-  
teris clariū explicatæ. ex Spiritus Sancti efficacā; at tamen Christus populam  
suum corporali sui visione, ut Thomam, Stephanum, Paulum. Joh. 20. Act. 7.  
& 9. dignabitur. Matthei 24. 30. Joh. 19. 35. Zach. 12. 10. Apoc. 1. 7. Qui  
planctus non est desperationis & lethalis sed veræ contritionis & salutaris. Vesti-  
gia vulnerum sunt illud signum filii hominis.

IX. Non tamen Christus descendet in terram, ut quidam Chiliastræ putant,  
sed in coelo manebit: nec erit corporalis quædam resurrectio universalem ante-  
cedens. Difficultas Apocalypsis 20. oritur ex malā positione commentis post  
verba ἰὸν λόγον Ἰη̄οῡ, quum debeat esse punctum; novaque sententia incipiat  
ab ὁσιν. Sensus est: Plerique Judæi & gentiles, qui nunquam fuere Papistræ,  
& spiritualiter reviviscunt, & cum Christo in coelis sedente in hæc terrā regna-  
bunt. Confer Ezech. 37.

X. Scriptura Prophetica non est data ut demum in æternā sed etiam in hæc  
vitā intelligatur.

Nec tantus Ecclesiæ thesaurus tam frigidē, ut vulgō fit, tractari ac usurpari  
verum hinc præcipua Rerum publicarum Christianarum consilia peti debebant.

XI. Absurdissima & planē Sadducæa opinio est credere Deum in V. T. non  
promississe piis vitam æternam, quum toties promittatur quoties *Deum alienigeno  
hominis Deum esse dicitur*. Gen. 17. 7.

XII. Quamvis Mysterium Sæ. Trinitatis in N. T. clariū ac gentilium cap-  
tui accommodatius tradatur: tamen in veteri tam plenē, planē ac frequentior  
docetur, ut nec Dei nomina, nec ullum caput Biblicum intelligi queat,

nisi id admitatur. Est autem absolutē ad salutem necessarium,

adeo ut sine illo nec vera & Christiana fides, nec spes, nec  
charitas haberi queat.

*Nomina*



*Nomina Respondentium.*

Johannes P. Szeredahelyi Hungarus. Senior  
Stephanus L. Tömös Vaárinus, Hungarus Contraſcriba.  
Andreas Cz. Buzai Hungarus. Collaborator primus  
Michael P. Szent Györgyi Siculus.  
Johannes N. Baczoni Siculus.  
Michael V. Fogarasi Siculus.  
Michael Cz. Zagonj Siculus.  
Michael S. Bögözi Siculus.  
Andreas L. Csekefalvi, Siculus.  
Johannes P. Czeglédi Hungarus.  
Franciscus K. Váradi Nobilis Hungarus.  
Stephanus K. Tsengeri Hungarus Nobilis.  
Petrus S. Káransebesi, Walachus.  
Stephanus J. Halmágyi, Siculus Collobrator ſecundus.  
Johannes Oſvat. Folyfalvi Siculus.  
Andreas F. Szeredahelyi, Saxo. Tranſ.  
Thomas K. Bikfalvi Siculus.  
Martinus P. Almasi, Hungarus.  
Auguſtinus P. M. Cſeiteienſis, Bohemus.  
Michael S. Boros Jenei, Hungarus.  
Andreas Sadjer Biſztricienſis Saxo. Tranſ.  
Michael Duchon Marcusfalvi, Scepuſius.

*Errata Typographica.*

Lege p. 7. Concilium. incipiat p. 2. accuratè p. 4. Ezechielis. Salomon. p.  
6. functionibus pertinet. p. 7. lov p. 9. conſtere. commenus. p. 10. Plal-  
morum. concinnata p. 12. grammatica. evolutio. p. 15. ſunt. ſed. p. 16. ſolen-  
nis p. 17. quæſtionem. immediatè p. 18. correcti. p. 19. h. n. p. 21. Jehova.  
inſignem. p. 22. tritum. p. 24. ſymmetria p. 25. repudianda. in V. de aliâ re.  
p. 26. habitudine. nec minus. p. 28. videmus. p. 29. axiomata. p. 30. receda-  
tis. p. 31. Vetus. educarentur.



X. RESZ.

507

Mind azon által, ha ſzintén ſenki azt a' *Soltárt* a' Da-  
vidrol a' kor nem értette-is, ugyā nem kőverkezik, hogy  
a' izent Peternek az ellen- valo vetélkedése ſzűkégtel-  
en, és képtelen, lőtt volna, mint az ellenkező állatja;  
Mert így mind a' *Christus*nak, s' mind az ő *Apoſtolinak*  
ſok ſzűkégtelen, és képtelen vetélkedések lőtt volna,  
holott gy. korlatofſággal olyak felől vizsgálodtanak, és  
ollyakot állattanak, a' mellyek felől ſenki azok között,  
a' kikvel beſzéltenek, különbet nem értett. Sem pedig  
nem olyan ſült bolondhoz, és balgataghoz illik az ellen  
*diſputálni*, a' melly ſohol ſintſen, a' mint ő képzi; mert  
egyébként mind ſült bolondok, és tők agyu oſtobák  
volnának ma azok, a' kik azt *diſputálják*, hogy Iſten lé-  
gyen; hogy e' világ teremtetett, hogy fel-támadás, ítélet,  
menyoriſzág, pokol, légyen, hogy jót kelleſſék tſeleked-  
ni, s' a' gonofzt pedig el távoztatni &c. holott ſenki,  
hogy én tudjam, nyilván azoknak egyyikét ſem tagad-  
ja, még a' *Pogányis*.

Hogy a' *Phariſeufok*, és az *Irás* tudok, *Christus* Urunk  
űdött ezt a' *Soltárt* a' *Meffiaſiel*, s' nem pedig a' *David*-  
rol, értették légyen, mi világofon meg bizonyithatjuk  
*Matth 22. 42.* &c. holott *Christus* Urunk a' ſok egyben  
gyülekezett *Phariſeufok*nak ezt a' kérdést rámaſztván  
eleikben: *Mi módon hívja a' David a' Christust a' Lélek ál-  
tal Urának, ha ő fia, mondván: Monda az Ur az én Uram-  
nak?* &c. ſenki, tsak egy is, közöttük nem állatá ellen-  
ben, hogy ott a' *David* a' *Meffiaſrol* nem jővendőt, és  
azt nem mondta, légyen ő *Urának*, hanem mindnyájjan  
reá hagyák, hogy a' *David* a' *Christust* mondta légyen  
ott *urának*, és e'ből nem fejtőzhetének ki; miképpen  
leheſſen a' *Christus* a' *David*nak, mind ura, s' mind fia  
Rrr 3 egyſzer-







RM. *B.*

87.

Bisterfeld Beata Virginis ars.